Proditoris Proditor.

SIVE


Decachordon, plectrum *admouente Horatio*, concinens Liberati-*onem Britannicam.*

Psal. 144. ver. 9.
Cantabo tibi Deus Canticum nouum, D.cachordo *psallam tibi.*




Excusum LONDINI,
Impensis *Martini Clerk*: venundatur autem in Cœmiterio Diui Pauli. Ad nouam *Librariorum Officinam*
1606.

Bound by



VIRO NATALIBVS, VIRTVTE, LITERATVrâ conspicuo, Dominô *Henrico Howardo*, Comiti Northamptoniensi, Baroni de Marnhil, Præcipuorum quinque Portuum Præfecto, ex illustri Periscelidis ordine Equiti, & prudentissimo *IACOBI Maximi Consiliario.*

Summam ex voto fœlicitatem.



Vod ignauis militibus, quos sæpè fortiores, nonnunquam etiam fortunatiores reddit ipsa periculi magnitudo, fugæque desperatio, idem profectò (Domine Illustrissime) mihi, qui Typographorum prælum, non minùs quàm timidissimus quispiam præliū, & merito, semper detrectaui, hoc in negotio accidisse intelligo. Cum enim, quæ de nu-

Bound by

pero Patriæ periculo mihi priuatim ac Musis commentatus essem, tanquam classico quodam surreptitio in solem, ac puluerem protraherentur, ita vt aculeatioris censuræ vulnera subterfugiendi nulla iam spes esset; repentè eo me audaciæ prorupisse intelligo, vt non modo pugil professus in arenam descendere. sed etiam de toto quasi Circo spectatissimum spectatorem, eundemque iudicem ausim aduocare.

*Præceps verò consilium, ac temeraria, fateor, confidentia. Cui quidem exprobrandæ hoc etiam accedit, quod cuius ad aliorum de me iudicia mollienda patrocinium sum imploraturus, eiusdem mea legentis acumen perspicacissimum imprimis me æquũ sit reformidare. Quod ne non satis deterreret, etiamnum me perculit grauius isthoc dicto * philosophus.* Plurimùm intereſt ſortiatur aliquis iudicem, an eligat; multumque apparatus intereſt apud inuitatum hoſpitem, & oblatum.

Plinius in Præfat. ad histo. natural.

Enimuerò hæc reputanti mihi occurrit opportunè, succurritque illa, quâ iampridem apud omnes supraq; omnes inclaruisti, pectoris verè generosi suauitas incomparabilis, ac propensa erga literatos omnes benignitas. quibus tu (reliquas enim, quæ classis sunt excelsioris, omitto) virtutibus, pro ea, qua apud Sereniſſimam Maieſtatem *polles, gratia, togatis non minori esse te iam comprobas munimento, quàm*

ipsi olim Togæ, cum in Academia nostra versarere, fueras ornamento. Sustineat igitur (suppliciter obsecro) audaculum eadem quæ fecit, Illustrissime Comes, comitas tua, & in nostra culpa ignoscat sibi. Quanquam si eos, qui patronum, non quà potentem, sed qua beneuolum adeundum censent imitarer, tota hæc culpæ deprecatio in officij iustam attestationem videtur transmutanda. Quid enim opportunius, quam vt Amplitudini tuæ primitias (vtcunque exiles) voueat, si qua pullulauerit ingenii seges in Collegii illius solo, cuius tu olim honoratissimus incola, nunc, secundùm Augustissimum Iacobum *Patronus potentissimus; cuiùs tu (quia priuato nos affectu foueri parum visum est)* Summus *vocari pateris,* Seneschallus*: cuius denique non alumnos modò, sed et ipsos parietes & fundamēta quasi radio tui fauoris amorisque salutari lætiores reddi persentiscimus?*

Quid accommodatius, quam vt, quem Serenissimus Rex semper fidum, & ipsa incendio nuper erepta respublica in Proditorum fraudibus discutiendis, et propalandis sagacem, strenuum; & assiduum experta est, eundem ego, ad hunc meum προδοτομάστιγα *propugnandum, omnesq; animi exulcerati censores quasi lege, ac legionibus arcendos ducem, & aduocatum mihi studeam arcessere?*

His allectus rationibus, hac spe fretus, Decachordum meum (quandoquidem tectiùs iam non potest)

test) vt possit tutiùs sub nominis tui auspiciis resonare, obnixè serenum illum ac benignum Geniū tuum imploro obtestorq;.

Hoc si pro illa, quæ me iampridem omni obseruantiæ officiiq; vinculo reddidit obligatissimū, humanitate dignatus fueris, nullum honorificētius aut præsidium expectare, aut præmium expetere potero.

Sed molestus esse desino.

Honorem tuum reipublicæ, Musisq; diutissime sospitet Deus Opt. Max.

Sic optat

Eidem amplitudini

addictissimus

T G

Collegii Regalis
Cantabrig. Socius.

Bound by

Musarum amatori, Proditorum osori.

--Me quoque pectoris Tentauit in tristi periclo } { *Feruor, & in Lyricos Horati Misit furores.---* Horat. Carm. Lib. 1 Od. 16.

LIceat enim mihi, Lector beneuole, eum, quem iam familiaritèr habeo, Poetam verbo obitèr emollire. Ego, inquam, cum linguæ tot, calamique dolis, doliisque sulphureis describendis tererentur, meum quoque (cum Diogene) dolium agitaui, & Horatiani Chii, aut Lesbii fæcem expressi? quiduis tamen ratus fore potiusquã vt in apricum-- *Vah tritam*, inquit nescio quis, *fraudem scripturientium, qui optionem suam in aliorum adhortationem, aut etiam vim transferunt, & sua, quæ excusa cupiunt, habere volunt excusata*. Hèus Amici, vos, inquam, qui mihi partus huiusce refingendi suasores, authoresq; extitistis: Nonnè dixi vobis? Tuq; inprimis, cuius ego sententiæ parendum censui non minùs profectò quàm dignissimo S.C. Annon tibi ad prælum nuper instiganti, eo, quo suaseras, argumento me vel maximè deterreri responsum est: Vestrum esto hanc detersisse calumniam. Mihi quidem iam non vacat ad Horatium (dicam verò) meum redeunti. Ignosce neruosissime Poeta, cuius ego veste pulcherrimâ direptos Centones malè consarciui; quem ego (haud quidem Proditorem) tot miserè dissecui, ac discerpsi modis. Quanquam, si quid in te peccauerim, iam quidem *Dedi satis, superque pœnarum tibi.* Quas tu sincipiti huic turbellas, dum milites tot è variis cohortibus tuis sparsim transcriptos concenturiarem. Nunquam sanè potuissem, nisi flaccus esses, te sæpius reluctantem auribus pertrahere in negotiũ meum. Sed pergo. Est fortasse non nemo, qui hic aut perspicuitatem, aut narrationẽ desideret. Fateor quidẽ hoc carminum genus Lectorẽ poscere haud dormituriẽtẽ. Quis Horatii Geniũ vno peruestigauit intuitu? Non sapiũt Lyrica gustu primo non sapiũt. Deinde

Senatusconsulto

Horat. Epod. vlt.

Bound by

Ad Lectorem.

Centones mébris ſingulis ita aptare, nihil vt æquo laxius ſtrictiuſuè ſit, nimis eſt arduũ. Aliud eſt denique recta ſerie, aliud cryptícè, aliud hiſtoriã, aliud poema ſcribere. Neque ſanè cum Scholia iſthæc ad contractiora nonnulla explicanda adtexerem, vllam ſtupendæ huiuſce Proditionis hiſtoriam decreui. Mihi ſat eſto *Summa ſequi faſtigia rerum.* Quin ego te, lector patiens mei, demitto tandem? vnum cum fueris admonitus, hoc Charactere " propter verſus marginatim deſcripto numerum ſemper proximè præcedentem deduci, ac continuari.

Iam haue ac faue.

Poſtſcript.

Maturiùs hæc quidem, & tempeſtiuiùs oportuit. Iam ecce nonnulla, ad quæ, cum hæc canerem, coniectura neſcio quà collimaui, editionem hanc euentu anticipàrunt. Sed verò (præterquam quòd ad mea edenda aliquanto ſeriùs ſum pertractus) vix quenquam, tanto decurſo temporis ſpatio, tot a me detritis plateis tandem reperio, qui me prelo ſuo dignetur. Typographos, & Librarios adeo; (non omnes; puduit enim partum hunc meum nimis ad nauſeam proſtituere) Cum iis, vt ſcriptum de immani Proditione libellulum excudant, ago. Libenter ſpondent: Sibi, aut famaliari neſcio cui Cenſori ſuo monſtrandum petunt. Trado.

Vah Latinum eſt. Nunquam hinc rem faciemus. Si vernaculam ſonaſſet, aut ſiquidem iam poterant illa Lyrica in rythmum conuerti Britannicum, non modo ſine ſumptu tuo prelum adibis, ſed & pretium labori feres. Hic ego. Non ſoleo, inquam, nec poſſum quidem Nænias (quas Ballatas vocant) componere; nec cupio mea a circumforaneis nugiuenduiis, aut caniſtriferis decantari. *Tum tacitè apud me.* Rumpe miſer calamos.---

Sed male, credo, de calamo meo iam prope debacchaturo auguratus Typographus meam ſcribentis ſiſtit manum.

--Verbum non amplius addo.

PRO



PRODITORIS PRODITOR.

CHORDA prima.

Quæ tremulum & querulum sonat.

SIVE Ode I.

In qua ex nuperi periculi recordatione animorum perturbatio, deinde proditionis horrendæ detestatio.

Horat.
Lib. Ode.

2 19 Dira e remotis vrbibus audio.
3 4 Audistis? an me fallit inanitas
“ Rumusculorum? audite quicquid
2 7 Fama sonis vehit æstuosis.
2 13 Quàm penè furuæ regna Proserpinæ
“ Regina, Princeps, Rex, Proceres, Patres,
“ Plebs fida viderunt, futuri
2 3 Victima nil miserantis Orci?
“ Omnes eodem quàm propè perculit
“ Ictu impetitos ocyus, ocyus
“ Vis exitura, & nos in horrendum
“ Exitium impositura flammæ?

Bound by

3 14 Malè ominatis parcite vocibus:
3 2 Facesse rumor, quid rudis aurium
1 26 Musis amicos, quid lacessis
3 4 Pierii malus hospes antri?
1 26 Musis amicus volgiuagos metus
“ Trado proteruis ferre Aquilonibus,
3 2 Nec sumo, vel pono timores
“ Ad sonitum popularis auræ.
2 17 Sed iam querelis exanimans nouis
3 5 Fidem irreprensus, nunquam aliàs datam,
“ Firmauit author, Iam remitto
2 11 Quærere; iam trepidans stupesco!
2 19 Iam mens recenti percutitur metu,
“ Et vix periclo libera, turbidos
“ Versat tumultus. Parce nobis
“ Parce tuæ, Deus alme, genti,
2 1 Iam nunc minaci murmure classicum
“ Perstringit aures; iam litui strepunt,
2 13 Iam mente oberrant dura flammæ,
“ Dura fugæ mala, dura belli.
3 6 Pœnè occupatam seditionibus
“ Deleuit vrbem proditor. Ah prope
2 13 Vis mortis improuisa nostrum
“ Desecuit, rapuitque florem.
3 6 Fœcunda culpæ sæcula! Quod scelus,
2 1 Quis gurges, aut quis Tartarus hoc nefas,
2 13 Tractauit, attraxitque dira
3 3 Omne sacrum rapiente dextra?
1 35 Non Dacus asper, non profugus Scytha,
3 4 Pastusue equino sanguine Concanus,
4 14 Non cæde gaudentes Sicambri, aut
1 35 Sanguinei facerent Tyranni.

2 13 Ille & nefasto natus erat die,
“ Ille & paterno vincula gutture
3 6 Suffregit, horrendos furores
“ De tenero meditatus vngui;
3 5 Ille vnde vitam sumpserat immemor,
“ Proh Christiani nominis, & Dei
“ Oblitus, æternæque pænæ
Ante diem adproperauit Orco,
2 13 Quicunque primùm sacrilegā manū
2 19 Armatus (ah ne credite posteri.)
Tam turpe, tam deforme, dirum,
3 4 Triste nefas animo mouebat,
2 20 Quale haud Gelonus audiit vltimus,
“ Haud audierunt littora Bosphori,
“ Syrtesue Getulæ, vel Indus,
“ Colchos, Hyperboreiue campi;
2 1 Quale haud seueræ Musa Tragœdiæ
“ Dedit Theatris, haud puerilibus
Bullat Legendis, haud renarrant
3 7 Historiæ vitium docentes:
Cuius relatu Tisiphone tremat,
2 13 Auertat ictas Bellua centiceps
“ Aures, & intorti capillis
“ Eumenidum fodiantur angues:
Ad cuius aspectum intima Syderum
2 16 Bicorne fusca nube tegat caput,
Et Sol reluctantes retrorsum
1 34 Vertat equos, volucrēque currum.



FAMA SONIS *Sonora illa Buccinatrix æneam habeat oportet non tam tubam, quam frontem, quæ nuncio*

Bound by

3 14 Malè ominatis parcite vocibus:
3 2 Faceſſe rumor, quid rudis aurium
1 26 Muſis amicos, quid laceſſis
3 4 Pierii malus hoſpes antri?
1 26 Muſis amicus volgiuagos metus
“ Trado proteruis ferre Aquilonibus,
3 2 Nec ſumo, vel pono timores
“ Ad ſonitum popularis auræ.
2 17 Sed iam querelis exanimans nouis
3 5 Fidem irreprenſus, nunquam aliàs datam,
“ Firmauit author, Iam remitto
2 11 Quærere; iam trepidans ſtupeſco!
2 19 Iam mens recenti percutitur metu,
“ Et vix periclo libera, turbidos
“ Verſat tumultus. Parce nobis
“ Parçe tuæ, Deus alme, genti,
2 1 Iam nunc minaci murmure claſſicum
“ Perſtringit aures; iam litui ſtrepunt,
2 13 Iam mente oberrant dura flammæ,
“ Dura fugæ mala, dura belli.
3 6 Pœnè occupatam ſeditionibus
“ Deleuit vrbem proditor. Ah prope
2 13 Vis mortis improuiſa noſtrum
“ Deſecuit, rapuitque florem.
3 6 Fœcunda culpæ ſæcula! Quod ſcelus,
2 1 Quis gurges, aut quis Tartarus hoc nefas,
2 13 Tractauit, attraxitque dira
3 3 Omne ſacrum rapiente dextra?
1 35 Non Dacus aſper, non profugus Scytha,
3 4 Paſtuſue equino ſanguine Concanus,
4 14 Non cæde gaudentes Sicambri, aut
1 35 Sanguinei facerent Tyranni.

2 13 Ille

PRODITOR.

2 13 Ille & nefasto natus erat die,
" Ille & paterno vincula gutture
3 6 Suffregit, horrendos furores
" De tenero meditatus vngui;
3 5 Ille vnde vitam sumpserat immemor,
" Proh Christiani nominis, & Dei
" Oblitus, æternæque pœnæ
Ante diem adproperauit Orco,
2 13 Quicunque primùm sacrilegâ manû
2 19 Armatus (ah ne credite posteri.)
Tam turpe, tam deforme, dirum,
3 4 Triste nefas animo mouebat,
2 20 Qualè haud Gelonus audiit vltimus,
" Haud audierunt littora Bosphori,
" Syrtesue Getulæ, vel Indus,
" Colchos, Hyperboreiue campi;
2 1 Quale haud seueræ Musa Tragœdiæ
" Dedit Theatris, haud puerilibus
Bullat Legendis, haud renarrant
3 7 Historiæ vitium docentes:
Cuius relatu Tisiphone tremat,
2 13 Auertat ictas Bellua centiceps
" Aures, & intorti capillis
" Eumenidum fodiantur angues:
Ad cuius aspectum intima Syderum
2 16 Bicorne fusca nube tegat caput,
Et Sol reluctantes retrorsum
1 34 Vertat equos, volucrēque currum.



FAMA SONIS *Sonora illa Buccinatrix æneam habeat oportet non tam tubam, quam frontem, quæ nuncio*

tam incredibili, tam infando, tam portentoso hominum non barbarorum, non Anthropophagorum, aures audeat vulnerare.

REGINA, Princeps Rex.) *Sed quid monstri apportas Fama? Num bipedum cuiquam hoc animo insedit, hoc in pectus surrepsit, vt patriam vniuersam vno cumularet rogo? Ita est. Insanissimi & omnium post homines natos immanissimi parricidæ, coniurati reip: hostes, iurata Diaboli mancipia illustrissimum Britanniæ Magnæ Regem* Iacobum, *serenissimam ipsius Consortem Reginam, Regni Paterni spem ac firmamentum* Henricum *Principem vnà cum vniuerso trium Angliæ Ordinum Senatu, tot Ecclesiæ lumina, tot patriæ columina vno pulueris pyrii sufflatu subterraneo, ah quàm parum absuit quin in frusta puluERESque redigerent.* Quid non mortalia pectora cogis Dira superstitio!

Seneca in Thyeste.

NOS in horrendum) Exhorruistis? hactenus non stat nefas. *Quanquam hac diritate nihil tetrius, aut funestius, nihil quod aures nobis & animos feriat magis, est tamen quod cutim. Num te extra sagittæ huius iactum censes collocari? Sic habe: Omnium, quibus aut recta Religio cordi, aut patria curæ sit, nemo non putet se ad internecinam illam cladem destinari; & quasi ijsdem cum Rege Senatuque flammis absorptum & absumptum iri.*

FAcesse rumor) *Equidem, cum primum hospitia Musarum pepulerat hic sonus, contempsi, & (vt cum Horatio loquar)* incredulus odi. *Nempe audito tam infando flagitio visum est mihi,* Durum præcipiti credulitate capi. *Iam verò cum sanguinarijs illis haudquaquam durum visum sit nos omnes magis præcipiti crudelitate captos habere captiuosque, Palinodiam lubens cano.*

PARCE nobis) *Non temere est quod Dei ipsius, cuius præpotenti auxilio, & bonitate minimè parca nobis*

iam

iam parcitum est, manum quasi adhuc gladium necemque intentantis metuimus, & deprecamur. Deus etiam tum, cum parcit peccatoribus, minatur peccaturis. Quinetiam ingens pauor præsidia sua nonnunquam reformidat.

IAM mente oberrant) *Belli intestini, quod ex horribili reip: euersione erat concitandum, vestigia etiamnum animo inhærent, quamuis insidiæ ipsæ, miserante Domino, sint iam dissipatæ.* Est quidam tremor etiam tranquilli maris, aut lacus, cùm ex tempestate requieuit. *Senec. de Tranquill: Chap. 2.*

FOECVNDA culpæ secula. *Viueres nunc Horati, quomodo de temporum improbitate conquesturus Heliconа totũ excuteres! Certe quidem (ita obmurmurantem audio Papistam) dum vestram videt* Euangelicorum *à sanctâ Catholicâ Romanâ Matre secessionem; ex illo tempore nullus Sanctorum cultus, nullus Purgatorij metus, nulla vsquam charitas, præterquam annonæ.*

Enim vero nos qui iugum Babylonicum excussimus, dum fidem sanam profitemur, peccata (quæ fert humana fragilitas) nostra non diffitemur, nomen tamen Meriti speciosum horrendis flagitijs non obtendimus. Nullum In nostro crimen tam detestabile cœtu.

ILLE vnde vitam sumpserat) *Leue est Patriæ sensum exuisse ei, qui hominis omne quod erat (si quod vnquam fuit) prius exuerat.*

PROH Christiani nominis) *Non mirum, saltem non ita dirum durumque huius Parricidij nomen sonaret, nisi illorum auribus, animis, manibusque esset familiare, quibus illud sonat in ore,* Omnis anima potestatibus superemi-nentibus subdita esto. *Et illud,* Si quis maxillam feriat tibi, obuerte alteram. *Aut hoc non est Euangelium, aut illi non sunt Christiani.*

Seueræ musa Tragœdiæ) *Ita mihi prorsus persuadeo,*

nullum vspiam tam horrendæ immanitatis exemplum histori as sacras, aut prophanas, antiquas, aut nouas, gentium mitiorum, aut barbararum suggerere, aut etiam cothurnatissimos *Tragœdos comminisci. Seneca In Hippolito, magnum vitiorum cumulum, & summum improbitatis apicem scripto attigisse fortasse sibi visus est, cum in medium adductis grauissimis sed præ isto minutulis, flagitiis, hoc breuiter perorat Epiphonemate*, Nullum caruit exemplo nefas. *Quo cothurno, quibus lateribus optaret idem* τραγῳδεῖν, καὶ βοᾶν *si monstrum hoc intueretur? Quiritaretur, credo.* O facinus, omne facinus exemplum supra. *vel è conuerso.* O exéplum supra, omne scelus.

Puerilibus Bullat Legendis) *Intelligo bullatas illas, & phaleratas fabularum strues, quæ nihil aliud quā n otiosis diem comburunt: hæ inquam, dum horrenda passim confingunt Gigantum, Draconum, Occiniorum monstra, vix quicquam habent quod portentosam hanc à Proditoribus non ad horas ludendas fictam, sed ad Patriam lædendam penè factam stragem possit adumbrare.*

Et Sol reluctantes) *Leuicula & pœnè ludicra, hoc scelus dum intueor, iam mihi videntur illa, ad quæ voce Stentorea & tragica ad rauim exclamandum sit,*

in Hercule Ætæo,

Conuerte Titan clare anhelantes equos &c.

In Medea

Spectat hoc-
Sol--& spectatur? & curru insidens
Per solita puri spatia decurrit poli?
Non redit in ortus, & remetitur diem?

Denique in Thyeste,

O Phœbe patiens verteris currum licet &c.

Quid

Quid enim, quid in illis causæ est, quamobrem ramices rumpat Roſcius *? Illic Illuſtris heros, exantlatis laboribus, monſtro nullo non iam perdomito, maturus in patrium cælum recipitur. Hic, iactis tantùm ingentis gloriæ fundamentis, nondum domitis omnibus vitiorum & ſuperſtitionum monſtris* noſter Hercules *cælo quidem (quamuis turbine infernali) ſat citò aduehendus, ſolo verò, ſoltoq, ac ſuis non ſero ſatis auellendus.*

Porrò illic fefellit Iaſon coniugalem fidem. Hic omne fidei, humanitatis, naturæ ius conculcatur, omnis irarum rabies, omnis inſaniæ antea cognitæ feritas ſuperatur.

Denique illic in Thyeſteâ menſa, Lancinat gnatos pater. *Hic patriæ Patrem, vniuerſoſq ſummi Concilii Patres conſcriptos Terræ filij, filij iræ, mortis filij fruſtulatim diſcerpere ac diſperdere voluerut.*



Bound by



CHORDA Secunda.

quæ stridulum & frendens.

SIVE *Ode* 2.

In qua indagatio parricidarum, Exinde Romanensium criminatio.

Horat.
Lib. Ode.

1 16 O Patre diro Dæmone dirior
3 29 Propago, sæuo læta negotio,
O Parricidæ, Regicidæ,
O populi-(ah propè Regni-)-cidæ!
Epod. 7 Quò, quò scelesti, quo ruitis? modus
1 16 Quis criminosis flagitiis erit?
3 2 Cur vos ad infames cruenta,
" Cur toties rapit ira cædes?
2 17 Num vos Chimæræ Spiritus igneæ,
Ep: 7 Furorue, vel vis corripit acrior,
" An culpa? *R*espondete, Clamant
1 9 Hæc, animo male pertinaci,
3 3 *Iustum, & tenacem Catholicum sui,*
" *Papæ iubenti haud cedere nescium*
" *Non arma, non possunt Tyranni, aut*
1 27 *Sanguineæ cohibere leges.*
3 3 *Quicunque cœptis terminus obstitit,*
" *Frangamus armis, aut tacito dolo,*

2 15 *Vt templa possimus Deorum*
“ *Romuleis decorare sacris:*
1 31 *Frui paratis si licet artibus,*
3 24 *Peccare virtus, & pretium est mori:*
3 1 *Hac laurus æternos honores*
“ Sanctifico *pariet triumpho:*
3 2 *Nos Bulla, pandens immeritis mori*
“ *Cælum, Deorum cœtibus inseret,*
4 8 *Cælo beabit Bulla, Bulla*
2 20 *A Stygiâ prohibebit undâ.*
Vah! sic Triuertex Papa suos docet,
3 4 Qui terram & vrbes, Regnaque tristia,
“ Diuosque, mortalesque turbas
“ Imperio regit irreprenso?
1 34 Insanientem vah Sapientiam
3 5 Contaminatam religionibus
“ Fœdis, & exemplo trahentem
“ Perniciem veniens in æuum.
4 4 Vires venenum promouet insitas,
“ Falsique cultus pectora fascinant.
3 6 Hoc fonte deriuata clades
“ In patriam populumque fluxit.
1 35 Eheu cicatricum, & scelerum pudet,
“ *Fratrumque esu*. Quod fugitis scelus?
“ Monstri quid intactum nefandi
“ Linquitis? vnde manus cruentas
“ Grex Regicida continuit? quibus
3 5 Sceptris pepercit? (Proh maculæ incapax
“ Ecclesia, intactique mores.)
2 1 Quæ caret ora furore vestro?
2 15 Patrum incruentis non ita legibus,
“ Pœnis cruentis non ita Martyrum

Bound by

" Præſcriptum & *Intorſi magiſtri*
" Conſiliis, & Apoſtolorum,
4 4 Quid debeas huic Anglia Cerbero,
" Teſtes tremendæ cędis in Inclytam
3 4 Tot machinatores *Eliſam*,
" Virgineâ domiti ſagittâ;
4 14 Teſteſque duræ vulgus Hibernię
3 6 *R*ebelle, Papâ non ſine conſcio,
" Et Regis Hiſpani, magiſtro
3 4 Non ſine Papa, animoſa claſsis;
" Magnum illa terrorem intulerat bonis,
2 17 Formidoloſi pars violentior
" Fatalis anni, quem Sibyllæ
Carm ſæc. Fatidici monuere verſus,
1 29 *Inuicta Claſsis*, quæ male nexuit
1 37 Nobis catenas, quidlibet impotens
" Sperare, promiſſiſquè Papæ
" Ebria. Sed minuit furorem
" Vix vna ſoſpes nauis ab ignibus,
2 1 Æquórque Ibero ſanguine pinguius:
3 6 Dii iuſta neglecti dederunt
" Heſperiæ mala Faſtuoſæ.
2 1 Sed quid retracto vulnera, vulnera
" Vix dum expiatis vda cruoribus?
Iam fœderata gens, & iræ
4 14 Compoſitis ſopiuntur armis.



Ioh. 8.44. DÆMONE ditior) Diabolus ab initio fuit homicida, *qui nunc dierum filiolos habet ſe longè peritiores, qui homicidij nomen nimis vulgare in triumphales Regicidij titulos, ingenti cum gloria immutarunt; ne non ſit verum*

illud

PRODITOR

illud Κρείττων μαθητὴς πολλάκις διδασκάλου

REGNICIDÆ) *Egonè verear nouo eos indigitare vocabulo, qui nouo scelere omnes veterum verborum copias superarunt, & nouam immanitatis quasi* Transcendentis *notionem orbi cognitis flagitiorum* Prædicamentis *superinduxerunt?*

PAPÆ iubenti) *Aueo scire numquis, qui se Romani Domini mancipium profitetur, totumque se generalis obedientiæ compedibus constringendum dedit, summi pontificis iussa detrectare audeat. Minimè vero, cum* *Omne temporale subordinetur ad bonum Spirituale, cui* promouendo spiritualis summus Iudex optimè prospicit. *Bellar. de Pont. Rom. Lib. 5. cap 6. 7. &*

At (ipse instet * *Lelius) quid si in Capitolium (hoc est Regni caput, conciliumq amplissimum) faces ferre iubeat? At non iubebit, inquies. Vtinam quidem nihil tale. Sed quid si tandem iusserit? Quid si se* Bonum spirituale aliter tueri non posse *profiteatur.* Captiosa hæc *(respondes)* & plena subdolæ cuiusdem immanitatis quęstio, *cui sat erit subdolè* & Æquiuocatione *adhibitâ respondere. Hem verò, teneo iam te. Video enim te dum Pastori Romano adhæres, Lupum auribus tenere. Si iubenti non parueris, partes tuas prodis; si parueris, patriam tuam perdis.* *Apud Cicer. de Amici.*

ÆTERNOS honores) *Alij plerumque Proditores, cum in* Vnctum domini *insidias struunt, peccare se non inficiantur: Omnipotentis Pastoris* * perennis serui, *cum Reges trucidant, Regna euertunt, non modo non peccare se sed (ô audaciam, aut stupidam insaniam!) opus summè* Meritorium, *& tertio statim Cælo dignum patrare gloriantur.* *Plaut. in Persa.*

–Ipso sceleris molimine Sanctos
Se credi cupiunt, laudemque a crimine sumunt.

TRIVERTEX) *Tricoronis, vel potius Tricornis, & verè multicornis illa Bestia. Apoc. 13.*

Bound by

REGNAQVE Tristia Diuosque) *Nimis angustum fuerit Pontificis Romani imperium si triplici illo Diademate tres Orbis cogniti partes significentur. Noui Orbes huic Alexandro cederet: regna tria ampliora adinuenienda. Purgatorium, cuius igne culina ferueat Pontificia: Ecclesia visibilis Catholica Romana, quæ* supra Garamantas & Indos proferat imperium *: & Senatus Sanctorum cœlestium, quos in Calendarium suum, tanquam in* Album amicorum *personatus hic Cœlestis Amphitheatri Curator pro suâ liberalitate transcribit.*

IRREPRENSO) *Papæ nemo potest dicere,* Cur ita facis? etiamsi mille myriadas animarum secum in Infernorum Infernum detrahat. *Papæ!*

FRATRVMQVE Iesu) *Qui Iesuitas in promptu habet, non opus est vt versutos & versipelles Regum Dominos, Soliorumque suffossores è longinquo petat. Hi sunt, qui Proditores & fiunt, & faciunt, qui Regiæ lanienæ officinam publicitùs aperiunt, quibus denique (vt nostra omnia et exempla, & argumenta taceam) ipsi Presbyteri Pontificij lubenter Regicidij palmam deferre se profitentur: Quanquam hanc quidem Iesuitarum* Hærentem capiti multa cum laude coronam, *ipsi etiam Sacrificuli nonnunquam detrahunt & rasis verticibus incingunt, ne scilicet boni Iesuitæ (& est quidem valde insolens, & inter suos vix ferè dum hoc Locustarum genus) se tantùm glorientur nouas Ecclesiæ Romanæ artes callere & exercere. * Presbiteri nefarios Iesuitarum conatus, & sanguinarias fraudes detecturos se, dissipaturosque pollicentur, dum ipsi intereà (quod primus* Iacobi *nostri annus sat sensit) in eodem furno, (saltèm eundem panem) coquant. Vultis familiarius? Qui dormiturienti promisit Canis se inuigilaturum, & latratu Lupos abacturum; consopitam ipse dilaniat.* Iebusita *simplicitatis ergò* Lupus *esto, Sacrificulus*

Watsone Quotlibetista dextrâ scribis proscribis sinistrâ, in libro laruatus transfuga, verus pugil in patibulo.

innocentia

innocentiæ ed ntulæ gratiâ Canis. *Lupus non Ouem modo, Sed & hominem si prætereat, non mirabor minus quam ille se saluum.*

Namque me Silua Lupus in Sabina fugit inermem.

A Cane expectabimus vt Lupum abigat? immo Trux immerentes hospites vexat Canis Ignauus aduersum Lupos. *Sed sat fabularum. Vtinam quidem fabulæ.*

QVIBVS Sceptris pepercit) *Quis ille, & quibus vsus præceptoribus qui Gallorum Regem* Henricum 4. *non ita pridem in os vulnerauit? vnde mox factum est, vt Edicto Regio Iesuitæ exulare iuberentur, verum elapso circiter decennio recepti sunt. Quo instigatore, quâ confidentiâ fretus ille, qui lectissimum Vrantiæ Principem globo sclopetario transfixit? Quis Gallorum Regem* Henricum 3. *(etiam Monachatus admiratione adeo dementatum, vt a nonnullis* Frater Henricus *cognominaretur) quis? sed verò numquid Monachus* Iacobita *venenato pugione trucidauit? Deus noster nostrum* Iacobum *ab huiusmodi* Iacobitis *protegat, ac tueatur.*

Quisnam gentium ille, qualis Pater, ac Pastor gentium? qui hunc τυραννοκτόνον disertâ oratione, non in coquina, aut lupanari sed in Consistorio habitâ elegans pictor deaurauit, quod nempe idem Cassius *(populus de viâ concedite, aduentat ecce ingens quæ totam confarciet plateam figura φιλοφρονώτατα*

Regem, non fictum, aut pictum in pariete, sed viuum, & valentem transfoderat. O insigne, memorabile facinus.

Verum iste Monachi Regicidæ laudator egregius venenum (ô quam opportunè) Parricidâ monacho porrigente dicitur periisse, & frustrà iam apud inferos côquestus Panegyricam hanc orationem fortasse in Philippicam aut Catilinariam transmutat. Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.

INTONSI Magistri) *Saluatoris nostri; qui Nazaræus vocabitur* Mat. 2.23. *Huic vt tam externo cultu,*

quàm interna sanctimonia sint prorsus dissimiles, immo vt ne pilum viri boni habere videantur, *rasi & tonsi incedunt Sacrificuli.*

TOT machinatores) *Tot Proditorum, quorum insidijs sacrosanctum & cœlitus tectum* ELIZABETHÆ *caput impetitum est, vix vnus aut actor, aut instigator inuentus est qui non a Romanensi Præceptore edoctus se ad immane scelus tanquam ad opus pium accinxerit.*

PAPA non sine conscio) *ô quam clemens ille* Octauus, *qui non ita pridem conscripto ad* Dilectum filium suum *Hugonem Onelum diplomate*, gentem Braccatam *ad militare sagum remisit?*

O quam pius ille Quintus *qui anno* Elizabethæ 11. *Boreales nostros, ne pacis diutinæ frigore torperent*, Bullato *flabello in flammam apertæ Seditionis subuentilauit?*

FATIDICI monuere versus) *versus, qui circumferuntur, Sibyllini,*

Post mille expletos a partu virginis annos,
Et post quingentos rursus ab orbe datos,
Octogesimus octauus mirabilis annus
Ingruet, & secum tristia fata feret.
Si non hoc anno totus malus occidat orbis,
Si non in nihilum Terra fretumque ruant:
At passim Mundi sursùm ibunt, atque deorsùm
Imperia, & luctus vndique grandis erit.

Si quid solidi vaticinij habeant, de periculo Anglicano videntur intelligendi, neque enim alijs vspiam nationibus calamitas vlla memorabilis, aut Imperij conuersio illo tum anno ingruebat.

INVICTA classis) *cognominata ab ipsis* L'inuincible Armada; *nomen tamen ex antiphrasi inditum euentu comprobauit.*

SED

SED quid retracto)? *Non sum adeo importunè & arroganter absurdus, vt quos iam Imperij Britannici* amicos sociosque *salutamus, eos ego tanquam reip. hostes odiosè perstringam aut veterum inimicitiarum recens ductas perfricem cicatrices. Non video tamen cur hec aut ex Annalibus nostratibus prorsus delenda sint, aut etiam scripto eadem non liceat (vbi res ipsa flagitat) obiter leuiterq; attigisse.*



CHORDA tertia.

quæ submißum, & immurmurans.

SIVE Ode 3.

In qua coniuratio, insidiarum destinatio, delecto sceleris capitalis ministro monstro quodam hominis Guidone Fausio, *qui se Iohnsonum fucato nomine venditabat.*

Horat.
Lib. Ode.
1 3 COnsortium audax omnia perpeti,
4 14 Deuota Auerno pectora, perfidum
2 17 Dixere Sacramentum, *Eamus*
1 35 *Ferre iugum pariter parati:*
2 20 *Nil vsitatum, vel tenui modo*
3 25 *Commachinemur. Dulce periculum est:*
3 17 *Nos magna patremus, nepotum*
16 *Per memores celebranda fastos.*

3 24 Pleno ruinas nos Capitolio,
" Quo Rex, & omnis turba Potentium
" Concedit, aptemus; subintret
3 4 Impositam celer ignis Aulam.
1 12 Horoa sed quem, vel virum habebimus
4 4 Huius ministrum fulminis impigrum,
Qui fidus adsit, doctus istis
4 9 Insidiis sapienter vti?
3 24 *Tu Guido* quiduis aut agere, aut pati
Paratus. Hæc te Troia manet, Sinon
Astute: tu Diis nata cœpta
4 14 Auspiciis perages secundis.
1 25 Cum tu doloso prorueris pede
" Regni Columnis, fugerit hostium
4 4 Spes omnis, & fortuna, Rege
" Cum ducibus simul interempto,
3 4 Tum nostra fidens horrida brachiis
1 35 Caterua surget, & populum leuem
" Ad arma cessantes ad arma
" Instruet, imperiumque franget:
3 29 Vrbesque, pagosque, & pecus & domos
" Conuoluet vna, non sine militum
" Clamore, quo gentem lacesset
" Effera diluuies quietam:
Tum viperarum quicquid ab vbere
Caluiniano pendet, & vspiam
3 23 Crescit *Lutheranis* in agris,
" Victima Pontificis securim
" Ceruice tinget. Scilicet omnibus,
3 23 Cruci supinas ni tulerint manus,
2 14 Crux certa, & ensis, siuè docti,
" Siuè rudes fuerint coloni:

Nos

Non sanguinatas effugient manus,
3 4 Qui fonte frontem Castaliæ lauant,
2 17 Lycæum vtrumque: nempe vtramque
“ Inferet vna dies ruinam.
3 5 Ensis verendos consilio Patres,
3 6 Et iuniores mox Academicos,
4 14 Primos, & extremos metendo,
“ Sternet humo, sine clade nostra:
3 29 Tunc nos potentis præsidio Papæ,
2 14 Quicunque Papæ numine vescimur,
3 26 Tutos, per insanos tumultus,
Constituet sociale signum.
3 3 Hæc colloquutis consiliantibus,
Guido tremendum concipiens scelus,
Guido furores, & furorum
Tartareas meditatus artes,
1 27 Natis in vsum consilii locis
Cladem parabat Concilii & loci,
2 19 Tectique non mollem ruinam,
“ Gentis in exitium potentis.

DIXERE Sacramentum) *Coniurati se ad facinus cùm constanter perpetrandum, tum silentio obtegendum sacramẽto mutuo & sacris Missalibus constrinxerunt ac contesserarunt. O Christe ideone nectareum illud & saluificum effusi sãguinis tui poculum nobis combibendum tradidisti, vt in pignus sumeretur sanguinis innocentis nefariè effundendi, sanguinis populi tui, Sanguinis christi tui? Imò ô bellum & beatum illud Altaris Sacramentum, vbi corpus sine sanguine Dominico siccum populo communicatur. Cur quæso?* Propter periculum Effusionis. *Num verò illi sanguinem non sanguinẽ ne è calice profluat adeo superstitiose prohibent, qui verum & viuum*

fidei defensoris cruorem non modo effusuri sunt, sed ad effundendum ipso eiusdem Calicis pignore se, alumnosq; suos obligarunt ac deuouerunt? O ἀνόητοι quis vos ita effascinauit?

CAPITOLIO) *Non temerè nomen hoc retinuisse videor mihi, non modo quia, vt Capitolium Romanum vrbis Imperiiq; sedes & caput habitum est, sic hæc, quam* Parliamē-ti summi Domum *dicimus, Augustissimi & imperialis concilii nostri locus sit, sed etiam quod nonnulla in vtroq; ex antithesi parallela haud ineptum fuerit animaduertisse.*

Marcus Manlius ob defensum & liberatum à se capitolium honoris ergò Capitolinus *olim cognominatus est. Nostri cōtra Catilinæ ob intētatam Capitolio nostro fœdissimā ruinā & direptionē, iustissimæ infamiæ ergò non Catholicorum sed si placet Capitolinorum cognomento insigniantur.*

Liu. dec. 1. Lib. 4. *Ille, cum quod res nouas molitus esset, in discrimen Capitale adduceretur* * populum intuēs orasse singulos dicitur vt Capitolium atq; arcem intuētes de se iudicarent. *Nostri perduelles in iudicium publicum adducendi, opus habent vt de se iudicaturos orent, ne ad Capitolium nostrum oculos aut animos conuertant.*

Ille Deos immortales comprecatus est, vt quam mentem sibi Capitolinam Arcem protegenti ad salutem populi Romani dedissent, eam populo Romano in suo discrimine darent. *Istis optandum, & quam maximè metuendū est, ne, quam sibi, non mentē, sed amentiā, non Dii immortales, sed mortiferi Dæmones Arcem totumq; Regnum Anglicanum non protegentibus, sed proruentibus, ad Ecclesiæ populiq; non salutem sed internecionē dedissent, eam iudicibus iusta vindictæ cupiditas suppeditet ad inauditū & novum flagitiū nouo supplicii genere acerbius plectendum & vindicandum.*

Illi de rupe Tarpeia deiecto locus idem & eximiæ gloriæ & vltimæ pœnæ fuit. *Horum nonnulli eandem illam*

domum

Domum, quam eximio scelere fœdarunt, monstrosis dãnatisq; capitibus palo præfixis, non tam infamẽ aut informem quam spectabilem, triumphalem, et quasi cristatam reddiderunt.

CATERVA SVRGET) *Consiliũ hoc tuũ satis superq; euentus cõprobauit, cum sub ipsũ destinati miserabilis incendij tempus, profligatissimi grassatores turmatim confluerent, se armis accingerent, ac omnia miscere conarentur.*

VIPERARVM quicquid) *Hæreticos (hoc est quicunque* Romanum rerum *Dominum* Patremque Mitratum *non admirantur & colunt) ex lege vsuque Pontificio odisse oportet* Cane peius & angue. *vnde vox illa* * Luteranos Perros. *Angues autem, qui transfigere non potest, effugiat, qui potest, interimat. Ergo.* *Lutherani canes.*

PONTIFICIS securim) *His victimis Ioui Romuleo litandum fuit. Ex quo subindicatur Papalibus Sacrificulis non tam sacrificium (quod crepant)* Incruentum, *quam cruentum arridere.*

SCILICET omnibus) *Non modo emundi vendundique, sed & viuendi potestas prorsus intercludenda erat ijs, qui Bestiæ signaculo non essent insigniti.* *Apocal. 13.17*

LYCÆVM vtrumque) *Leue fortasse visum est post reipub. animam extinctam (Regem scilicet, totumque Concilium sublatum) Angliæ gemellos oculos iam tum, animâ illâ abcedente, caligantes euellere, vtramque nempe Academiam immaniter deuastare.*

SOCIALE signum.) *Inter Parricidas (ad exemplum fortasse Occidionis illius Lutetianæ) de tessera quadam conuentum est, qua hædi Romani ab ouibus laniena destinatis dignoscerentur.*

Bound by



CHORDA quarta.

quæ cauernosum, & ambiguum.

SIVE Ode 4.

In qua insidiarum locus, integumentum fraudis, & in ipsum crastinum apparatus.

Horat.
Lib. Ode.
2 13 *Quodquisque vitet* nunquam homini satis
" Cautum est in horas. Hic, vbi publicæ
2 1 Res ordinantur, est Senatus
Fulmineo lacerandus ictu.
Fornix stat amplus, qui Superæ Domus
2 3 Molem arcuatam consociare amat,
Ingens pauimentum suberrans:
Insidiis locus iste lectus
Conductus arte. Dat pretium inscio
3 16 (Nam sic futurum tutum iter, ac patens)
4 4 *Guido* clocanti Iamque opimus
" Fallere, & occulere est triumphus.
2 19 Caupo choreis aptior & mero,
" Ludoque visus, quàm truculentiis,
Locum refarcit doliorum
2 7 Ponderibus male destinatis,

1 37 Fingens (nefas!) deponere Cæcubum
“ Cellis auitis, dum Capitolio
“ Hac fraude dementes ruinas,
“ Funus & imperio parabat.
1 27 Potu iocisque fulmineus cinis
“ Immane quantum discrepat! hic cados
1 35 Cum fæce siccatos replebat
“ Puluere sulphureo dolosus:
Cælare fraudem doctus, & impiger
Compaginatis hunc cinerem supra
2 3 Lignis, & extructis in altum
Aggeribus sociare vectes.
3 3 Et ipse, ne non sit nimium pius
3 1 Appensa furtim fert super impiâ
Ceruice, vanorum Deorum
3 6 Fœda malo simulachra cultu.
“ His omne principium, his tulit exitum:
1 35 Hæc multus ambit sollicita prece,
O Diua Virgo, ò Crux, mearum
2 17 Este Deus columenque rerum:
3 4 En vester ô ✠ Sancta, & Imagines,
2 1 Periculosæ plenum opus aleæ
“ Tractabo, & incedam per ignes
“ Suppositos cineri doloso.
3 4 Vestris amicus cultibus, & sacris
“ Perdam Britannos Catholicis feros,
3 3 Qua parte debacchentur ignes
“ Qua capita, & male trunca membra
“ Surgant in auras visere gestiens:
Dum clade pœnas Hæretici luunt,
3 3 Vt fractus illabatur orbis,
“ Catholicum haud ferient ruinæ.

2 17 Vel si immerentis hanc animam rapit
" Maturior vis, quid moror? haud ego
4 9 Pro Roma, & Albanorum amicis
" Pontificum timidus perire.
3 3 Hac arte, Cœli nempe ego lucidas
" Adire sedes, ducere Nectaris
" Succos, & adscribi Beatorum
" Ordinibus merear Deorum.
3 4 Insania sic lusus amabili
4 7 Summæ parabat omnia crastinæ,
1 7 Cœtâque sub noctem lucernâ
" Compositis repetebat horis.
3 15 Cras hic acerbos fæce tenus cados
3 17 Potabit hostis; cras spoliis domum
" Submissa tempestas ab imo
" Sternet, ait, nisi fallit augur,
Inominatus cui placuit dies
Regi nefastus antè. Periculo
Vt *Quintus Augusti, Nouembris*
Quintus erit celebris ruinâ.



FORNIX stat.) *Cælo gratia quod iam non dicamus* Stetit. *Enimuero ego, fremãt licet Patriæ, aut Religionis hostes, sperare & hariolari ausim adeo florentem & in omne æuum inuiolabilem duraturam Concilij Amplissimi sedem, vt in voti stylum transitura sit olim hæc vox* Dum domus Anglige-nûm Capitoli immobile saxum Accolet, Imperiumque IACOBI sanguis habebit.

SVPERÆ Domus) *Periti mirmillones & sicarij eius, quem*

quem e medio sublaturi sunt: non pedem, aut brachium, sed cor ipsum transfodiunt. Simili astutiâ, malitiâ longe maiori sanguinarij parricidæ, qui omne Religionis veræ pacisque publicæ non modo columen, sed & spem, speciemque funditus euertere decreuerant, in Superiorem Illustrissimi Concilij Domum (ibi Corporis Britannici cor, præcordia, sanguis vitalis, Augustissimus vnâ cum Coniuge ac prosapiâ IACOBVS, *venerandus Episcoporum ordo, honorifica Procerum, Consiliariorum, Iudicum corona) in ipsam inquam Imperij animam inuolarunt: nouerant probè scilicet non modo inferiorem (quam vocant) lectissimorum Equitũ ac Municipum Domum eâdem ruinâ attractum, sed etiam reliquam omnem Britanniæ plebem rapinis ruinisque iri expositum.*

CONDVCTVS arte) *Strenui hi milites, sed (antiquâ appellatione) latrones arcem hanc primò actis cuniculis, & perfosso ligonibus pariete, conuellere conati sunt; Verùm cum inter fodiendum cauernæ sonitum auribus percepissent, commodiorem se nactos rei profligandæ opportunitatem rati, ligonem abijciunt, ac subterranei fornicis a Custode conducendi viam nullam non tentant, donec tandem addicto pretio res transigeretur.*

DEPONERE Cæcubum) *Falsarius tenebrio* Fausius *cum Custodem ad Cellam hanc elocandam vehemẽter hortaretur, rationem adiecit cur hoc tam valdè percuperet, fore scilicet hunc locum non modo hero suo, qui in propinquo domum habuit reponendis carbonibus, ac lignis commodum, verum etiam sibi perutilem qui ibidem potus melioris amphoras condere & durante publico Concilio nundinari in animo habuerat: quo tempore hospites aduentantes vetusto & generoso potu se dixit accepturũ. Sed audi bone hospes,* nauteam malim bibere *quam vino tuo incalescere.*

LIGNIS, & EXTRVCTIS) *Ingentẽ vectiũ, sax*

 orum

orum & carbonum vim dolijs pyrio puluere plenis coaggerauit auceps callidus, partim ad laqueum occulendum, partim vt vehementiori turbine spiritum suum Ætnea illa flamma euomeret, eruptuque omnia disperderet.

ET ipse) *Bonus vir in ipso opere ordinando, ornandoq; faustioris in spem ominis, in sinu appensas nescio quot* Crucifixi & Beatæ Virginis *imagunculas gestauit.* Crucifixe Iesu hoc videbis & feres? *Imo vidisti quidem, & haud quaquam tulisti.*

ESTE DEVS) *Nimis molle, ac dilutum sonasset* ESTE DECVS, *cum Latria illa, quæ Cruci, &* HYPERDVLIA *quæ sanctæ virgini exhibetur, non tam decoris, quam Deitatis insignia verè censeantur: vnde Pontificijs Crucifixus saluator in crucem ligneam saluatricem & Virgo Deipara in τὴν ἰσοθεὸν Deiparem iam diu degenerarũt. Sed ipsam Mariam veneratione plusquam debitâ coli parum fuit. Papa Iohannes 22. verũ & iustũ* (procul dubio) *Beatissimi pedis virginei modulum describi curauit, adiectâ Concessione,* Quicunq; hoc vestigium ter deosculatus, tres recitauerit Auemarianas, refrigerum in Purgatorio septingẽtennne expectato, & a plurimis interea * periculis liber esto. *O Collyridianis demẽtieres Ichnodulos. Sandalio eodẽ signatæ & indulgentiâ largiore munitæ chartulæ in Hispania Toletiã venũ eũt; vnde aliquot in Britãniã nuper sunt deportatæ.*

Quærend. nũ hoc munimento tutus possit artifex inter sulphurea dolia versari.

QVA PARTE DEBACCHENTVR) *Ita affabrè scelus cõpositum erat, vt accenso funali, puluis tormentarius non ante corriperetur, quam ipse incendiarius posset, postquam ignem admovisset per mille plus passus abesse, vt & ipse a fulminis sui ictu tutus esset, & Regni cõflagrantis spectaculo (vt accensâ a se Româ Nero) oculos sauciaret dicam? imo vero satiaret.*

SVRGANT IN AVRAS) *Lepida apud Comicum percontatio. Vbinã gentium obsecro degunt homines volatici.*

Respondebunt

Respondebunt hi non iam monstra hominum, sed monstrifici. *Nos monstrabimus si non volaticos, saltem in sublimè raptos homines. Quanquam non homines, sed frustra quid? hominum? Certè. sed Regum, Satraparum, optimatum, &c.*

Merear Deorum) *Noli tu, quisquis es, quem pridē legi, illud aculeatè intertextis Scholasticorū titiuillitijs argutari,* vtrum Diabolus possit mereri. *Iamnunc transacta est disceptatio. Diabolica mancipia (quos non facilè dixeris tam moratos malè, vt herum suum viâ anteuertant) illi ecce quàm pulchellè, quàm* De congruo, *quàm* De condigno *cælum merentur ac rapiunt. Absit vt quisquam nostrum hoc illis cælum præripiat.*

Omnia crastinæ) *Deus noster, vt suam potentiam bonitatemq; ampliori theatro nobis proponeret, laqueum hunc est passus ad extremum filum contexi. Ita nescio quomodo etiam suauius cogitanti videtur cuipiam, madidum se grauatumq; arreptâ tabulâ naufragio elapsum esse, quam siccum ex procelloso mari saluâ naui portum attigisse.*

Periculo vt quintus Augusti) *Gouræorum in Scotia coniuratio, quæ caput vitamq; (quam vsq; protegat Deus)* Serenissimi nostri *ad extremum periculi (si Regem tantummodo cogitemus) non minoris quasi marginē protraxit, Deo succurrente dissipata est. Cuius liberationis memoriam pientissimus Iacobus septimanali sacrâq; solennitate celebrat.*

Nouembris quintus) *Imò quintus Nouembris vestra perfidia, & inaudita immanitate nunquā non erit celebris, vel potius infamis. Audisse me memini prouerbij vice à Protestantibus Gallicanis in Papistas hoc dicterium nonnunquā contorqueri.* **Je ne vous croy pas, par saint Bartholmey.** Non credo tibi suadenti, promittenti,

 fidem

fidem interponenti, per ſanctum Batholomæum non credo tibi. *Quippe in feſto ſancti Bartholomæi funeſta illa & fœda clades Lutetijs perpetrata eſt: Princeps illuſtriſſimus, quem Admirallium vocant, contra fidem datam trucidatus, cruor fidelium per plateas fluctuatim diffuſus, cuius maculas ſaxis ipſis illius vrbis, pauimentiſq; impreſſas non totus, qui alluit, Sequana vnquam eluet. Clades longè longèq; truculentior à tenebrionibus noſtris parata potius, quàm patrata (quanquam flagitium verè faciunt, qui factum volunt, facere parant, & facturi perſtant) non video cur facilius, quàm illa Gallicana, animis noſtris eximatur. Quidni ijs, qui ſe deuota & iurata Papæ mancipia profitentur, ſuam Regi, legiq; debitam obedientiam illibatam conteſtantibus reſpondeam: Non adhibeo fidem vobis quinti Nouembris ſatis memor. Vos feciſtis vt* veſtrûm, vt illius diei, & loci ſemper meminerim. *Quod ſi me vobis non crediturum non ſitis credituri, niſi Sanctum aliquem teſtem appellauerim; En vobis Bartholomæo longè digniorem (digniorem Martyris non nomine, ſed cruciatu digniorem, quam Bartholomæus, cui cutis vniuerſa viuo detrahatur) veſtrum, inquam, martyrem præclari miniſtrum facinoris. Quis ille, malum, quis eſt?* Guidonem veſtrum, *per Sanctum Guidonem vobis non credam.*

CHORDA



CHORDA Quinta,

quæ flebile, & vndoſum.

SIVE *Ode 5.*

In qua diræ in Puluerem tormentitium, eiuſq; inuentorem. Inſtantis deploratio ruinæ, Diuini deniq; auxilij imploratio.

Horat.
Lib. Od.

1 3 ILli irrefractum robur, & æs triplex
" " Immite circa cor fuit, & triplex
Erinnys, Alectoq; triplex,
Hydraq;, Cerbereiq; partus
In corde (ſi quod cor homini fuit)
Qui primus, artes à ſtygio Ioue
3 4 Edoctus, ardentes arenas
Sulphurei Phlegetontis hauſit,
Ac *omnicidæ* pulueris impetum
1 3 Bacchante dextra gentibus intulit;
Deditq; telum quo necandi
4 15 Tot veteres ſuperantur artes:
3 3 Telum irrepertum, ac ſic melius ſitum
" " Celante terra, iam male cognitum
" " Triſtes in vſus, in nepotum
2 13 Perniciem, opprobriumque Martis:

Non ſcuta, caſſes, vel tunicæ graues,
Non arx, vel ars, vel cura ſagax, moram
2 14 Flammis, & inſtanti ruinæ
‘‘ Afferet, indomitoq; monſtro.
Quanquam ô apertis ſi modò prælijs,
Ignota paci ſerperet hæc lues!
Sed pacis, altam pacis ardet
1 35 Vertere funeribus quietem.
Hic acer, ater, inq;–fugabilis
3 1 Præcurſor Orci ſtramineas domos
4 14 Faſtidit, horrendúmq; ſummis
‘‘ Excidium meditatur Aulis:
3 16 Regum per ipſos ire Satellites,
‘‘ Palatiorum ſaxa, potentiùs
‘‘ Vi fulminanti, diſsipare,
2 13 Inq; hominum caput immerentûm
Iactare gaudet. O ſcelus! O malum
Deforme, deteſtabile, degener!
Tibine in arces Anglicanas
Vis datur, & capita Anglicana?
Tibine in ipſum tot capitum caput?
3 3 O fœda clades! *Albion Albion*
‘‘ Infeſtus, inceſtuſq; Puluis,
‘‘ Atq; manus ſceleroſa vertet
‘‘ In puluerem? ſic regia Regiæ
3 29 Propinqua moles nubibus arduis,
1 2 Sic Templa Petri, templa Petri,
‘‘ *T*ot veterum monumenta Regum,
Quid ſaxa dico? *Principis* indoles
1 1 (Illuſtre noſtrum præſidium, ac decus)
Henrici, & ipſe ah ſic *Iacobus*
Noſter, auis, atauiſq; pollens,

4 14 Re-

4 14 Regum *Iacobus* optimus omnium,
“ Qua visit oras sol habitabiles,
1 26 (Proh triste fatu!) sic peribunt
“ Funditùs, inijcietq; nobis
“ Hostile frænum proditor insolens?
4 4 Lupisq; cedet præda rapacibus
2 17 Cœtus piorum? Haud sic potenti
“ Iustitiæ, placitumq; Christo.
3 1 Reges in almos præsidium est Dei,
Deum Iacobi cura tenet sui,
2 19 Quem liberauit de leonis
“ Vnguibus, horribiliq; malâ
4 14 Tutatus antehàc plus vice simplici.
4 15 Custode Christo, non oberit dolus,
“ Non Papa, qui Bullis lacessens
“ Christicolas inimicat vrbes:
1 16 Custode Christo, nos neq; publicus
“ Terrebit hostis, nec mare naufragum,
“ Nec sæuus Ignis, nec rebelli
“ Impia turba ruens tumultu.
Cum prole, nostrum, ac coniunge, Cæsarem,
Cleriq; Patres tot venerabiles,
2 17 Regniq; Magnates periclo
“ Eripuit, volucrisq; fati
“ Tardauit alas: atq; sua manu
“ Ictum leuauit. Reddite gratias,
“ Laudesquè votiuas Britanni:
“ Dente Lupi excutiuntur agni.

A Stygio Ioue Edoctus) *Scitum est illud, tritumq; A Fratre & Diabolo inuentam esse puluerem bombardicum. An Moguntinus ille malo aliquo angelo tanquam magistello, a quo ita instrueretur, vsus sit, an potius licitis artibus & magiæ solummodo Naturalis indagatione eximis Terræ visceribus noui aliquid eruerit, nec lubet, nec refert quærere: hoc procerto habeo nullum dirius malum, nullum magis mortiferum, generiq; humano inimicum magis ab ipso generis humani hoste, conuocato in Domum Plutoniam vniuerso Erebi Concilio, potuisse excogitari.*

Omnicidæ pulueris) *Pleraq; tela militaria, hæc pungendo infodiunt, illa dissecando sauciant, alia allidendo contundunt, nonnulla deniq; harpagando lacerant: monstrum hoc simul fodit, sauciat, contundit, lacerat, imo laniat, lancinat, dissecat, dissipat, dispergit, disperdit, homines, arma, saxa, omnia.*

Opprobriumq; Martis) *vix quisquã in re militari tam tyro, vt nesciat repertis nuper machinis sulphureis, bellicas artes virtutesq;, quibus Heroes illi antiqui adeò claruerũt, stratagemata laudatissima, quibus tot victoriæ acquisitæ, deniq; omnem ferè comminus congrediendi vsum* (vbi hæret pede pes, densusq; viro vir) *obsoleuisse, sorduisse, & in furtiuum quoddam quasi aucupium degenerasse: ita vt ipsum, si in apertum æquor descenderit,* Martem tunica tectum adamantina *inermis puerulus imo imprebaignẽ edocta admouere simia vno ictu consternare, consternere, & membratim dissipare tam facile possit,* quàm vulpes pyrum comest.

Regiæ propinqua moles) *Quam ego* Albam *dixerim siue* Albaulam: *Procul dubio ipsa, erumpente stygio illo, & plusquam Ætnæo fulmine, si non imis conuulsa fundamentis,*

tis, & complanata perijsset, saltem conquassata & lacera decorem omnem, & ipsum Palatij Regij nomen prorsus amisisset. Quod si quis tam ingentes, & insanos pulueri tormentitio etiam ad remotiora diruenda impetus inesse non crediderit, rei militaris peritos, quibus haud ignotus est huiusce monstri furor, interroget: Audiet quid in obsidione nuperâ Antuerpiensi ex Pulueris bombardici vi non ita multa acciderit, quas in Hiberniæ nostræ ciuitate Dublimiensi *hominum strages, ædificiorumque longiusculè dissitorum ruinas exigua quædam pulueris huiusce vascula aperto cælo collocata, nullo obice compressa non ita pridem excitarunt.*

Templa Petri) *Fanum pulcherrimum* Westmonasteriense *sancto Petro dicatum certo certius ruinam expectabat, eorum manu constandam, qui maximè Elogio illo gloriabundi vtuntur* Nil desperandum Petro duce, & auspice Petro.

Monumenta Regum) *Illa Heroum nostrorum magnifica sepulchra, quæ bellorum ciuilium rabies non violauit, illa ossa, quæ iamdiu* ventis & solibus caruêre, *illa Regni decora atque insignia, quibus Turcæ, credo, (si nos ob peccata nostra suis traderet Deus diripiendos) Turcæ parcendum iudicarent, illa, illa in frusta, in cineres, in nihilum erant disperdenda.*

Hostile frænum) *Nemini obscurum est florentissimam hanc insulam tam tum funesta orbitate & horribili Chao laborantem exteros hostes ad prædam, ad deuastationem, ad subiugationem fuisse allecturam. Idque proditoribus ipsis vel inuitantibus, vel etiam inuitis proculdubio expectandum fuit.*

De Leonis vnguibus) *Sic Dauid cum Gollia Dei atque hominũ contemptore conserturus manum animos sumit ex pristi-*

pristinorum, quibus eum eripuerat Deus, periculorum re-
cordatione. Dominus qui eripuit me de manu Leonis,
1 Sam. 17. 37. & de manu vrsi, liberabit me de manu Philisthæi hu-
ius, *eodem Domino opitulante, noster Dauid, immanis et*
1 Sam. 17. 35. *truculẽti Leonis faucibus pæne iam comminutus & deglu-*
titus prehenso manu suâ mandibulâ ipsam belluam
suffocauit, *cum a perfidissimis perditissimisque* Gouræis *in*
discrimen extremum adductus, Parricidas eodem in loco
quo necem intentarunt, telis suis iustissimâ pœnâ affecit.
Idem noster ab vrsi sæuientis, ac ferocientis vnguibus erep-
tus est, cum in solium Anglicanum nouiter receptus, noua
etiam proditione exceptus, & quasi salutatus saluus eua-
sit. Idem denique Deus eundem nostrum Dauidem iamnunc
a Gigantæo hoc monstro, cuius boatu tremendo totus Do-
mini exercitus populusque contremuit, fœlicissimè liberauit.
Domine magnificasti liberationes tuas.

Clerique Patres) *Si Ecclesia Anglicana rectores alios non haberet, quam, quos alijs in ecclesijs contemptim habẽt Papistæ, Pastorculosque & ludimagistros appellãt, respondisset, credo, se, dum omnia apud nos flammâ ferroque pessundarent, nullam visibilis & bene institutæ ecclesiæ imaginẽ aut vmbram conculcare. Iam verò cum Antichristianam tantùm tyrannidem, non Christianum regimen, excusserimus, cum Ecclesiæ veteris Occidentalis florentissimæ ritus nullos legitimos laudabilesque abiecerimus, cum denique Episcopos tot, verbo illaborantes, doctrinâ cum summis Pontificiorum ducibus conferendos, pietate ac canitie venerandos, dei beneficio, habeamus; quid? eóne Papicolis chariores sumus? Num ob isthoc præsulibus nostris in stygio illo incẽdij Chao parcendum erat? Nihilminus. Vox illa Saulis sanguinaria rationi & religioni obstrepuisset.* Interficite Sacerdo-
1 Sam. 22. 17. tes Domini, quoniam manus illorum est cum Dauide.



CHORDA Sexta,

quæ canorum, & penetrans.

SIVE Ode 6.

In qua insidiarum prodendarum modus admirabilis, & incendiarij ipsius nouiter deprehensi peruicax pertinacia.

Horat.
Lib. Od.

1 6 QVæ me potentis musa potens Lyræ
1 24 Lyrâ docebit blandior Orpheo
3 11 (Ille ipsa traxit saxa, traxit
" Ille feras, comitesq; Syluas)
Vt inquinata erroribus impiis,
Epo.16 Durata saxo pectora, pectora
Epo.17 Ferina, saxis surdiora
Permoueam, moneamq; cantu.
Si nempe, si quis tinctus adhuc malis,
Quas mittit, artes, *Sancta Sodalitas*
Epo.4 *Iesu*, venenorum feraces,
4 14 Imperij caput impetentem
Latere posthac posse putes dolum,
Si spes cruentas, si quis adhuc alas,
3 2 (Qualem vetabo ne sub ijsdem
" Sit trabibus, fragilemq; mecum

“ Soluat phaſelum) ſi quis es, applica
3 12 Aurem obſtinatam. Carmine non prius
3 1 Audita canto mira: Diſce
Iuſtitiam, nequè ſperne Cœlum.
3 4 Cœlo minax vis mole ruit ſuâ,
3 21 Iubente Chriſto, qui ſapientium
“ Fraudes, & arcanum potenti
“ Conſilium retegit lacerto.
1 16 Ille, ille mentem percutit impijs,
4 12 Ac dedolatis ſtultitiam dolis
“ Admiſcet, ipſarumquè fraudum
Indicio facit eſſe fraudes.
Epod. 9 Cum iam immineret, qui ſuper Angliam
“ Condat ſepulchrum, luctificus dies;
Innominatas ſcripſit vnus
De ſocijs male fœderatis
Dandas cuidam è Nobilium choro
3 11 (Hinc ille in æuum nobilis audiet)
Furtim tabellas. Sic amicè
Præmonuit peritura charta.
Primo Senatu, dum potes, abſtine:
1 9 Hic quid futurum ſit, fuge quærere:
3 29 Ipſe, ipſe Conſeſſum frequentem
“ Nube malâ Pater occupabit.
1 3 Cœlum (quod ipſum nequitiâ petunt)
Viriquè (quos heu nequitiæ pudet)
In fata conſenſere: pœnas
2 6 Progenies vitioſa ſoluet.
1 1 Non caſtra ſæuum, non litui, aut tubæ,
Epo. 2. Non excitabunt claſsica militem,
Totus Senatus, totus, inquam,
*Terribili quatietur ictu.

* *They ſhall receaue a terrible blowe.*

Tu

Tu iam irruentis præmonitus mali,
3 24 Si vita cordi est, expedies caput:
Te fata, si vis, sustinebunt
Excidio superesse tanto.
3 2 Cœlo moneris. Sæpe periculi
" Neglectus index addidit integrum,
1 27 Sanctumq; prauis. Credo in aures
" Deposui mea dicta tutas.
Quid ille ad isthæc, quid faceret legens?
3 2 Anne hæc fideli verba silentio
2 5 Celaret? ô pronam; ô probrosam
" Nominis Angliaci ruinam!
O infidele, ac turpe silentium!
Sed ille, ciuis quod patriæ studens
(O fata nobis fausta!) ciuis
4 10 Quod faceret bonus, atq; fidus,
4 4 Tradi dolentem tradit Epistolam
Fido Senatori. Excutitur loquax
Scriptura: nec quisquam latentes
1 17 Hic virides metuit colubros.
3 29 Prudens opertæ ambaginis exitum
" Caliginosa nocte premit Deus,
Et ore, quàm quo destinarat,
Haud alio sinit explicari.
3 20 Quis Dædalæi viribus ingeni
Epo. 17 Tam tortuosum soluere turbinem,
3 5 Voces quis extricare densis
Ambiguas potuit Meandris?
Ille, ille, cuius ingenio fauet,
Cauet saluti, atq; Imperium fouet
4 9 Perenne Cœlum: qui Deorum
" Muneribus sapienter vti,

" Rectamq; nouit Iustitiam sequi,
" Peiusq; letho flagitium timet:
4 2 Nec fata donauere quicquam
" Maius eo, meliusuè terris.
Ille obuoluti tela periculi
Primus notauit, Sulphureos dolos
Subesse fatus, machinasq;
3 26 Impositæ Domui minaces.
3 6 Tunc occupatus suspitionibus
Insuitatis, imperat omnia
1 Vt cautus exploret Satelles
Per latebras, & operta Tecti.
1 17 Hic in reducto fornicis angulo
Doli inuolucrum ligna, focalia,
Fascesq;, carbonesq;. Sed quid
Congerie latuit sub illa?
Sex & triginta dolia: secubat
3 16 Vulcanus his, non Bacchus, in amphoris:
2 7 Hoc, non diem frangas, sed vnâ
Clade Domum, Dominumq; vino.
3 21 Quis hæc, moueri digna bono die
3 28 (*Festo Nouembris* quid potius die?)
Epo.9 Emetietur vina nobis
4 4 Sedulior Ganymede flauo?
Heus, iste *Guido*, porrigere impiger
2 7 Obliuiosi pocula Massici.
Scceleste *Faux*. Tun' parabas
1 16 Hæc stomacho apposuisse nostro?
Vires potentis Insulæ, & Insulam
Viris potentem verterit hæc manus?
1 16 Hæc Regis Augusti coronam
" Fregerit, immeritumq; sceptrum?

1 37 Fatale

1 37 Fatale monſtrum, quid malè, quid paras?
Captus triumphat, ſeq; iocum facit
Lugendus: infandumq; cæptum
Suſtinet intrepidus tueri
1 17 Heroe dignum: Iam generoſiùs
“ Perire quærens non pueriliter
“ Horret capiſtrum, vel ruentem
“ Colla ſuper miſeri ſecurim:
“ Auſuſq; apertam viſere Regiam
“ Vultu ſereno fortis, & aſperas
“ Tempſiſſe pœnas Quæſtionis,
3 5 Vt capitis minor, atq; famæ:
1 37 Deliberata morte ferocior
“ Applaudit auſis. Scilicet inuidens
(Abominandam immanitatem
Epo. 9 Poſteritas veniens negabit)
4 8 Quod deſtinatos ducere ad exitus
(Sic omnis eſto Proditor inuidus)
Incepta cum votis nequiuit:
4 4 Vota Deos habuere vanos.
3 3 Sed Regicidas Romicolas ſatis
“ Vota hæc monebunt, ne male ſic pij,
“ Papæq; fidentes, prophanæ
“ Sacra velint reparare Romæ.
“ Romæ renaſcens alite peſsimo
“ Fortuna iuſtâ clade iterabitur,
“ Nobis honoratos triumphos
“ Chriſticolis tribuente Chriſto.

QVas mittit artes) *Non est opus vt ego aurea illa, & Iebusitis digna recenseam præcepta & institutiones, quibus Bannesius, Simancha, Parsonus, Sanderus, Creswellus, aliiq; eiusdem farinæ venerandi Patres ad excutiendum subiectionis vinculum, ad arma contra patriam, eiusq; Patrem sumenda, ad Reges* quacunq; ratione *(ergo siue ferro, seu veneno, seu denique, cum fulmen Excommunicationis non valuerit, fulmine etiam sulphureo) tollendos instruunt, instigant, imo conscientiæ stimulo impellunt miserum illud Pastoris Romani pecus. Qui quidem eò deploratiori calamitate laborant, quod a magistris suis hoc impietatis, & perfidiæ veneno semel imbuti omni antidoti sanioris sanctiorisq; vsu & attactu vsquequaq; prohibentur. Hoc nisi ita se habere intelligerem, mirarer profecto quenquam, qui se vel hominem, nedum Christianum profitetur, ita posse vel cum ratione, vel ex desperatione insanire, vt, quod gentium iura ipsæq; animo humano diuinitus impressæ notitiæ auersantur, quasi diuino afflatu incitatus, diuino etiam præmio inuitatus aggrediatur.*

Ille mentem percutit) *In rei tam manifestæ testimonium Sacras literas ne aduocem, etiam prophani ethniciq; scriptores illud & ipsi obseruarunt, & posteris tradiderũt, viris perquàm sagacibus prudentibusq; dum ingentia moliuntur, nonnunquàm* τὸν θεὸν βλάπτειν τὸν νοῦν, *et improuidos fatali aliqua & insigni dementia mentes occupare, vt quod consilio Cælesti decretum est, immobilem, inuiolabilemq; euentum sortiatur. Adeò vbiq; gentium inualuit semper illud* Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

Appian: Bell: Ciuil: Lib. 5.

Homer. Iliad. 1.

Cuidam e Nobilium choro) Domino de monte Aquilino, *cuius ego verè nobilissimi viri nescio an mirer magis constantem & illibatam fidem tam subdolis, tam secretis, tam potentibus inconcussam blandimentis, an fæ-*

licitatem,

licitatem, quòd eum tanquam cælitus destinatum Regis Regniq; vniuersi ex ipsis Orci faucibus eripiendi ministrum posteritas omnis (& merito) sit celebratura.

Sustinet intrepidus tueri) *Miser ille deploratæ insaniæ incendiarius iam* ἐπαυτοφώρῳ *deprehensus, vinctus, & coram honoratissimis consiliarijs de immani hoc ausu suo interrogatus, obstinatissimè professus est, se conscientiâ & Religione permotum ad facinus adeo palmarium & memorabile suscipiendum, cuius propalàm authorem non Deum, sed Dæmonem nescio quem fuisse. O vocem non hominis, sed Dæmonis, aut si quid Dæmone, Tartaroq; dirius!*

Tempsisse pœnas) *Laruata hæc, quam modo præ se tulerat personatus hic Regulus, fortitudo ac pertinacia, ipso equulei, quo in sontes* Questio *fieri solet, aspectu ita euanuit, vt derepentè (quantum mutatus ab illo!) rem totam liberè confessus, consilia inita ipse manu sua descripserit, scelerisq; conscios apertè designauerit.*


Scilicet inuidens) *Simili sed longè peruicaciori & ad extremum spiritum perductâ obstinatione non ita multis retro annis perditissimus ille sicarius qui* vraniensē principem *globulo sclopetico transuerberauerat, cum tentandi animi gratia nunciaretur vulnus illatum principi non esse lethale, inter exquisitos cruciatus respondit se hoc vnum grauiter ferre, manusq; suas esse iam tum ad vulnus idem, si opus esset, geminādum paratissimas. Et hic, & ille noster vterq; in eodem gymnasio institutus, vterq; ad regicidium instructus, vterq; puluere tormentariò armatus, in vtroq;* par improbitas, perfidia similis, gemina audacia. *Hoc interest, quod in illo nostro longè dirioris stragis inferendæ animus, & apparatus, in altero infractior pertinacia, & maior sceleris profligandi (sic visum est) fælicitas.*

Posteri-

Posteritas veniens negabit) *Non modo vox hæc detestabilis, dirisque omnibus deuouenda, posteris incredibilis fortaße videretur, verum etiam ipsa tam execrandæ proditionis intentatæ historia ad inuendam Pontificijs iniustam infamiam conficta censeri posset, nisi & toto cælo manifesta sceleris vestigia, & reos etiam confitentes haberemus. Sed enim (quale quiddam legisse me memini)* **Les choses qui ne sont pas croyables aux gens de biẽ, sont toutesfois faisables aux meschans.** *Quod mihi videtur latinè, vt natiuum leporem non amittat, vix posse commodè exprimi. Sic quidem craßè ad verbum sonat.*

Res non credibilis bono:
Est patrabilis improbo.

CHOR-





CHORDA Septima.
Quæ flexum, & blandulum.

SIVE Ode. 7.

In qua ad Serenissimam Maiestatem, dein ad honoratissimos, (qui eidem a sacris sunt Consilijs) proceres, alloquium humile, et officiosum.

Horat. Lib. Od.

1. 1 REx magne, magnis edite Regibus,
4. 15. Per quem Britannum nomen, & Insula
4. 14. Clarescit. O tutela præsens
" Angligenæ, Scoticæq; gentis.
2. 14 Per quem cruento Marte carebimus,
4. 15 Per quem vaganti fræna licentiæ
" Iniecta, per quem clausa Iani
" Ianua iam vacui duellis:
3. 16 Tibi ipse Christus turris ahenea,
" Tibi perennes excubias agunt
Densæ cohortes Angelorum,
Ipse tibi Pater Angelorum,
3. 4. Vt tuto ab atris corpore viperis
" Fruare (mirum quod foret omnibus)
2 1. Vt saluus incedas per hostes,
4. 14. Per maria, & medios per ignes.

4. 4 En nil tuæ non efficiunt manus,
" Quas et benigno præsidio Deus
" Defendit, & curæ sagaces
" Expediunt per acuta fraudum.
* *Gē.41.45* En tu * *IOSEPHVS*, tu * *DANIEL* novus,
* *Dan.5.12* Tu Dædalus, tu Pegasus, Oedipus,
* *Minotaurum* Tu Sphynga, * tu monstrum Biforme,
Tu trifidam superas Chimæram,
4. 9. Index cruentæ fraudis, & optimus
Vindex futurus. Deliciæ Dei,
4. 4. Quem semper, expertus fidelem
" Est Deus, et populus fidelis,
Paul.ad. *DEFENSOR* almæ qui *FIDEI* clues,
Ephes. 4 5. Vnius idem tu fidei, Dei
" Vnius, vniusq; Christi
Semper eras, es, eris Professor.
O Perge (pergens tu perages) manu
4. 4. Forti, & secundis vsq; laboribus
Rem Christianam promouere,
Romuleo grauis Antichristo.
Tuis ruinam qui *SOLYMIS* struunt,
Tuo periculum qui capiti struunt,
Vexa Pelisthæos Gigantes
3. 2 Dauidicis metuendus armis.
1. 37 Contaminatos disijce fontium
1. 26 Greges virorum, fontibus integris
4. 4 Arce reluctantes Dracones
Pestifero grauidos veneno.
Et vos sagaces *Consiliarij*
2. 1. Insigne Regi præsidium bono
(Lyram hoc loqui si fas procacem)
Quod facitis tacite vsq, et vsq;

Vos

3. 29 Vos Ciuitatem quis deceat Status,
" Curatis, Iste sollicitis labor
2. 9. Surgente non vobis recedit,
" Non rapido fugiente Sole.
3. 4. Vos *CAESAREM* altum (Curia Maximi,
1. 12 Et cura vobis *CAESARIS* est data)
3. 4. Lenire quærentem labores,
" Consilijs recreatis aptis:
" Fidele consilium & datis, & datum
" Præstatis. Omnes scimus vt impij
" Titanes immanisq; turma
" Ingenio cecidêre vestro.
3. 29 Fraudem insolentem texere pertinax
2. 19 Cohors Gigantum concidit impia:
2. 7. Iam fracta virtus, iam minaces
" Turpe solum tetigêre mento.
3. 3 Cæcisq; ductum seditionibus
" Bellum resedit protinus, & graues
" Motus, & inuisi furores,
" Quos Italus peperit Sacerdos.
2. 1. Vos, vos, tumultum exquiritis improbum,
" Motusq; causas, & vitia, & modos,
" Fraudisq; consortes, grauesq;
" Principium amicitias, & arma:
1. 35 Quos vulgus infidum, aut Babylonica
" Periura nectat quos Meretrix dolos,
2. 5. Discrimen obscurum repostis
" Fraudibus, ambiguoq; textu.
Epod. 17. Vos a labore hoc non vocat otium,
3. 3. Non fulminantis sæua Papæ manus,
Non blandientes, non minantes,
3. 29 Papicolæ, populusuè discors.

2. 3. Iustum ac decorum est. O vtinam nouâ
1. 35 Incude diffingatis in hostium
" Retusa ceruicem superbam
" Tela suis fabricata dextris.



MIRVM quod foret omnibus) *Equidem mirarer, si quis esset, qui non miretur manifestam hanc, & quasi palpabilem Domini nostri in Christo suo vndiq; protegendo prouidentiam & bonitatem Recordare, quisquis es, qui ad hæc tamen obsurdescis, recordare florentissimum Reginæ semper Illustris, iam Beatissimæ* Elizabethæ *imperium: quæ ab anno fælicissimi Regni sui circitèr vndecimo ad extremum vsq; animæ in cælum subuolantis halitum, nouis subindè ac perpetuis è pectoris Pontificalis scrinio depromtis, saltem è Pontificiorum schola emissis oppugnata est nunc apertis seditionibus, proditionibus nunc opertis: quem verò exitum sortitis? Inanitatem, pænam, opprobrium. Quem ipsa finem adepta? Imperium saluum, florensq;*, mortem siccam *seram, & placidam, gloriam nullâ vnquam obliuione aut inuidiâ obliterandam.*

Sed molestum est, ais, ad præterita retorquere oculos. Esto, quanquam hæc quidem bonis omnibus adhuc sunt ante oculos. Quæ penitius animo insident, præsentia contemplemur. Viden'? & nisi tibi Maiestas nimium perstringat oculos, vide mihi renatam hic denuò Elizabetham Iacobum nostrum. *Annon (vt omittam eius ab ipsis incunabulis adolescentiam cælitus semper propugnatam, periculisq; ereptam) annon agnoscis eiusdem a recepto Imperio Anglicano*

glicano annos vix dum tres, tribus atrocissimis proditionibus laborasse? quarum hæc novissima, omnem feritatis, fœditatis, insaniæ, infamiæ ὑπερβολῇ *exuperauit. Quis euentus? quæ merces? quæ spes simitia molituris? Proditionis laquei rupti. Proditores laqueo rapti. Prodituris (siquidem cuiquam posthàc insanire libeat) laqueus paratus.* Et dubitamus adhuc factis ostendere fata? *Sed ita est; nisi homines nequam ad alieni periculi pœnæq; exemplum stupidi essent, non tam amplum foret confertumq; Diaboli Imperium.*

INDEX cruentæ fraudis) *Ne adhuc tergiuersetur peruersa improbitas, ne affectata cæcitate, se non videre fingat, quàm frequentes assiduiq; Cœlestis Aulæ satellites Vnctum Domini circumcingant, bonitati Diuinæ hoc in negotio (nescio an vnquam prius) visum est, (eundem, quem maximè perditum Diabolus voluit, inprimis vero saluum Deus) Regem ipsum insidiarum exploratorem, & abstrusi illius ænigmatis, &, Sphyngis instar, minacis interpretem adhibere: Vnquamne aptius dici potuit illud?* Diuinatio in labijs Regis, in judicio non errabit os eius. *Pro. 16.11.*

Itane? *inquis, Potiùs in labijs Papæ, In iudicio non errabit os Pontificis Romani. Ehò, si hoc aut huiusmodi quicquam de Petri successore prædicerent, aut prædicarent Scripturæ, quo strepitu, quo triumpho* Ecclesiæ caput erroris expers *conclamaretis? Nos tamen haud ob isthoc encomium Regibus quasi extra erroris aleam positis supparasitamur.*

ISTE sollicitis labor) *Ingrati profectò fuerimus, si non agnoscamus indefessos labores, & oculatissimam indagationem, quâ immanis hæc & sanguinaria fera e fraudum suarum latibulis eruta est; quâ laqueus hic perfidiarum tam interplicatus, & anfractuosus a prudentissimis Consiliarijs enodatus est, & quasi deglomeratus.*

INGENIO cecidêre vestro) *Ad prodigiosum hoc Proditionis Monstrum perdomandū armis non vnis vsus est Deus, Recentia et adhuc calida feræ vestigia fato singulari reperit, fide eximiâ monstrauit* Nobilis *ille Indagator Montaquilius.*

In spelunca latentem belluam, strages, cædes, vastitates spirantē occupauit, ac exciuit venator semper strenuus, nunquam peritior, nunquam fælicior, charissimus Cælo Iacobus.

Deniq; excitatam iam, & sceleris sui conscientiâ tanquam sagitta transfixam persequuti sunt, gyris & Meandris eludentem oppresserunt fortissimi ac peritissimi Monstrorum huiusmodi Domitores, Illustres Consiliarij, *qui etiam totum postmodò Parricidarum armentum suarum Confessionum laqueis irretitos constrinxerunt, ac superarunt.*

COHORS Gigantum) *Terræ filios ferunt anguipedes cælum olim diripere conatos* superisq; Iouem detrudere regnis. *Gerræ germanæ sunt, præut nos experti sumus. Hi sunt Gigantes* θεομαχέστατοι *qui in Cælum Cælo ipso armati videri volunt, qui ab ipso Deo gladium sibi porrectum prædicant, quo diuina omnia, & humana transfodiant; hoc est qui* Diuinæ veritatis, Sancti Patris, Sanctæ Matris *speciosis nominibus armati, & quasi aurati, in verbum domini, in Christum Domini, in populum Domini, ferro, incendio, sulphure grassari voluerunt.*

PEPERIT Sacerdos) *Non incommodè, quamuis incuriosè, hoc* PEPERIT *retinuisse videor mihi. Vt enim illud, quod historiæ non contemnendæ testantur, taceam, verè olim* Peperisse *in publico* Papissam, *huiusmodi Proditionum portenta genuini esse solent (si modo quis posit esse genuinus)* Meretricis magnæ *partus. Quanquam hic, (vt et omnes alij, quos in nos anteà effudit) Deo nequaquam ob-*

stetricante, abortus potius nominandus est.

Sic, Papa, precabor
Cætera sit fortis natorum turba tuorum.

Sed verò nunquid, inquis, quæ vnus aut alter Pontificiæ religionis promouendæ gratiâ temerè molitur, ea semper Papâ authore, aut etiam conscio fieri censes? Non sum ita profectò rerum ignarus, vt illum misellum (vt plerunq; fit) & capularem senem omnes posse Regnorum euertendorum vias & stratagemata cerebro suo procudere existimem, aut etiam singulis Regicidis pugionem, Regnorum suffossoribus ligonem, Domiuertis puluerem Sulphureum *porrigere.*

Sanguinarius Diocletianus nō opus habuit huic aut illi Martyri percussorem designare: habuit suos exploratores satellites, tortores. Latronum duce etiam dormiente, bonis spoliantur, vitâ exuūtur viatores, habet ille grassatores suos, & sicarios, quos semel in latrocinij societatem satis est cooptasse. Habet itidem magnus ille Christiani Orbis Prædator suos sibi emissarios, locustas Iesuitas, *& Iesuitarum æmulos Sacrificulos, quos satis sit sanctissimo Patri semel nomen dedisse, & Romanæ Ecclesiæ per fas, nefasq; amplificandæ Sacramentum interposuisse. Hi cum suos succenturiatos milites ad heroicum Regicidij opus instigauerint, ad Cœlestem gloriam subterraneis, Sulphureis, Stygijsq; machinis capessēdam accenderint, deniq; ab ipso Sanguinis reatu antè effusum Sanguinem absoluerint, quid tum posteà?* [a] *Si parum successerit negotium, fremitur, frenditur, toto Vaticano sonat illud.* O rem auditu fœdam! O Parricidas! O deplora-

tæ

[a] *Locupletē habemus testem* Thomam Winterum *in Confessione sua à se descripta his verbis de sulphureis insidijs differentem: But if it should not take effect (as most of this nature miscaried) the scandall would be so great which Catholique Religion might hereby sustaine, as not onely our enemies but our friends also would with good reason condemn vs.* Non hic opus Scholiaste.

tæ spei, desperatæ rei nullius fidei homines! O non Matris Ecclesiæ filios! non Catholicos, nedum Iesuitas! *Quod si iam haustum sit venenũ, si præcordia transfoderit pugio, si tormentarius puluis ignem oportunè conceperit*, O facinus heroë, Martyre, Sancto dignum! O Tyrãnicidas! O Hæresiarcharum malleos! O dignos qui *Beatissimi* pedem exosculentur, quibus eiusdem manu sacratissimâ caput demulceatur, quibus deniq; collaudandis *Sixtus* ipse ab inferis reuocetur.

NON blandientes) *Blandiuntur Papistæ cum libris furtim excusis Regio nomini dicatis, aut Supplicationibus Regiam in manum traditis se profitentur, recepto* Iacobo, *ingenti & ineffabili gaudio perfusos, se* Iacobum *saluum, florentem, a fraude, ferro, flammâ (penè dixeram sulphureâ) tutum, tectumq velle ac percupere. Blandiuntur, cum non a se, aut suis Reges solio detrudi, trucidari, Regna donari, redonari, subditos iureiurando liberari, in Reges armari contendunt; cum se libere agnoscere, semperq asserturos pollicentur Regni Britannici ius primitiuum & sacrosancta priuilegia a Deo solo, immediatèq pendere, se* Illustrissimi Iacobi *ius hæreditarium contra omnes mortales propugnaturos, se eidem Maiestati illibatam obedientiam amoremq inuiolabilem semper præstituros.*

Sed noster Vlysses
*S*yrenum cantus, & Circes pocula nouit.

NON minantes) *Minantur Papistæ, cum suorum ingentem in Regno Anglicano numerum, ac potentiam crepant. Minantur, cum abreptum iri omnem proditionis ansam pollicentur tum demum cum* Iacobo *nostro placuerit Pontificiam admittere Religionem. OEdipode non est opus*


ad

ad oraculum hoc explicandum. Intelligo. Serenissimo Fidei Defensori, *nisi* Dagoni *sedem in Templo domini concesserit, perfidia, insidiæ, incendia sunt expectanda. O precariam Regis incolumitatem! Minantur deniq; Papistæ cum sparsis incerto authore fœdis famosisq; scriptis, venena, ferrum, exitium prudentissimis Consiliariis qui parricidio huic indagando piam nauant operam à suis paratum promulgant. Sed*

Pium ac fidelem consilijs ducem,
Non ciuium ardor dira minantium,
Mente quatit Solidâ.



a



CHORDA Octaua quæ concitatum & perstringens.

SIVE. *Ode.* 8.

In qua, insigne quod sit Talionis *exemplum, ingens Proditoribus documentum, Incendiarij flammis ambusti suis.*

Horat.
Lib. Ode.

3. 2. RARO scelestum deseruit pede
" " Vindicta claudo, persequitur virum
1. 35. Vltrix fugacem, et non fuganda
3. 1. Post equitem sedet atra pœna.
3. 11. Non dico pœnam, quæ manet impios
Olim supremæ sub sonitum tubæ,
2. 11. Quæ plectet æternis nocentes
" " Supplicijs animas fatigans:
2. 8. Nec quam cruentâ cote Necessitas
3. 1. Legum timendarum exacuit, genus
2. 14 Infame damnatura longi
" " Dedecoris, miseræq; mortis:
Sed quæ profanos, dum furiunt, ferit,
Teloq; eodem, quo feriunt, ferit:
Sic Sæpe pœnæ causa, pœnæ
Fit locus, improperatq; crimen.

Testis

4.4 Testis mearum (quid vetera aduocem?)
'' Sententiarum Proditor Ignifer
Correptus igni, & fusus armis.
3. 4 Ipse suis jaculator audax.
Sic est. Rebellis turba, latentium
Magistra fraudum, quæ Babylonico
Voti sacramento cruenti
2, 8. Triste caput simul obligârat,
1. 15 Turbas, & enses, & rabiem parant,
'' Palàmq; raptis imperitant equis:
Arcem capessunt; seq; curant,
Armaq;, sulphureasq; vires.
Sed ipse Puluis flecturiens dolet
Se se in bonorum vulnera ciuium
Manu parari Proditorum,
Et vitium madefactus haurit.
Siccetur ergo protinus inquiunt.
1 9. Igni adlocatur. Ligna super focum
'' Largè reponuntur: Neq; vllus
2. 13 Cæca sibi timet inde fata.
Inuitus aret Puluis, & haud tamen
Inuitus ardet. Flamma minax loco
2. 9. Intraq; præscriptum teneri
Non patitur, ruitura toto,
Si posset, ipsos in dominos foco:
Quod quiuit, egit. Nuncia mittitur
Scintilla vindex, quam libenter
4. 4 Igne suo periturus ambit,
Sed perditurus, Puluis; & obuia
Tecti ac virorum corripit, vt Notus
4. 4. Adlambit vndas, vt corusca
'' Lux liquidas penetrauit auras.

3. 4. Aspersa monstris flamma furit suis.
Ille vstulatus semianimis iacet:
2. 17 Hunc truncus illapsus cerebro
" " Sustulerat, nisi turpioris
Fata arcuissent supplicij reum:
Huic flamma, dictans sanguimanum genus
1. 27. Quanta laboret cæcitate,
Non oculos sinit esse saluos.
2, 1. O quàm decoro puluere sordidos,
3 1. O verberatos grandine quam suâ
Vultus! & ora ô fœda pulchrè,
2. 6. Ora nigro lacerata fumo!
4. 11 Ambustus ô sic Proditor improbus
" " Spes proditorum terreat improbas
Iam Puluis insons, iam remordens
3. 3. Fax dominos pia fraudulentos;
Et tu repertor Sulphurei mali
Ep.17 Culpate nuper, iam bone, iam probe,
1, 16 Esto recantatis amicus
" " Opprobrijs, animosq; sume.



TVRBAS & enses &c.) *Iamiam parturiente illo non Equo Palladio, sed subterraneo monstro, & vltimam* Simonis, Guidonis *(inquam) manum expectante, cuius operâ noster, cum suis,* Priamus, *& vniuersa Troia incendio fuerat deuastanda, iuratissimi Reip. hostes auxiliares copias sibi arcessere student, patriæ funesto illo rogo absumptæ cineres immaniter pedibus conculcaturi. Quò vero tu-*

tius

tius tectiusq eos, quos erroris Pontificij communitas in societatem necessitudinemq contraxerat, armis instructos in vnum conglobarent, non in ipso apertæ seditionis articulo tesserâ aliquâ militari, aut classico turmatim cōcurritur, sed celebris cuiusdam Venationis *in diē statum indictæ specioso prætextu sine strepitu, sine terrore, sine perduellionis suspicione conuenitur, et flumine quasi placido ac secundo confluitur. Sed* Instat nautis fera tempestas Cum fine vento tranquilla tument. *Proh venationis! Nunquid te verò ô optimum & vnicum ætatis Argenteæ vestigium, ferrei sæculi fraudes inquinarunt? Male quidem sit illi, qui primus (si modo quis antehàc) illam oblectationi innocentiæ, & castitati dicatam artem (quæ* Callidas tantum feris struxisse fraudes nouit) *insidijs, ac homicidijs obtēdit, qui venabulum in hastam, cornu in tubam, Dianam in Martem, venationem deniq in velitationem transmutauit.* *Senecā in Thyest.* *In Hyppol.*

Nostra verò ætas quos Cacos? quos Polyphemos? (sed leue est in homines sigillatim pauxillos inuolasse) quos Nimrodes fert & ferre sustinebit, qui vno venationis curriculo totas simul gentes non barbaras, aut legis expertes sed virtute, ac rerum gestarum gloriâ florentissimas occupare, mancipare, dissipare voluerunt? Prohibeat Deus ne venanti Iacobo *nostro huiusmodi* Venatores *se immisceant.*

PALAMQVE raptis) *Inter Proditores nefarium, audax, & insanum consilium agitatum, vt, extincto, vnâ cum Principe vtroq, Serenissimo* Iacobo, *lectissimam Augusti filiam* Elizabetham *apertâ vi in potestatem suam redigerent. Atrocissimo huic plagio inferendo equi aliquot generosi & bellici, perfractis stabulorum claustris, abrepti; seditiosorum, qui Pontificijs partibus studebant, coactus repentè manipulus, ad Romanam deniq Religionem armis tutandam publicè acclamatum.*

O non tam stupendos, quàm stupidos Proditores, quibus filium Regium in vincula captiuam ducturis, si non Diuini horror Numinis, aut Regij sanguinis reuerentia, saltem ipsius Elizabethæ nomen animos non perculit, atque sauciauit! Numquid illa, quæ Serpentem Romanum fraudes vipereas nectentem toties diuinitus superauit, pedibusque triumphantem contriuit, Beatissima Elizabetha *tam cito subitòque vobis excidit, vt vulneribus* Bestiæ *curandis alteram* Elisam *fatis destinari vnquam vel per somnium cogitetis? Sed desperatis ac perditis simul, perdentibusque omnia perduellibus in tam horribili quam ipsi intulisse optarunt reipublicæ naufragio quamlibet tabulam arripere visum est operæpretium.*

ARCEM capessũt) *Hosce equorũ raptores, reliquamque, quæ adhæserat coniuratorum manum populus circumuicinus (cui nondum sulphurea illa suboluerat cauerna) non vt Regnorum euersores, ne quidem vt plagiarios, sed vt ignobiles tantum grassatores, latronesque confertim insequi, & animosè adeo vrgere, vt in domum neutiquàm munitam se recipere cogerentur, vbi postmodo a* Tribuno *Vigorniensi exiguis copiis obsessi partim vulnere ceciderunt, partim capti pœnam expectarunt. Ita factum est, vt qui Arces huius Insulæ munitissimas totamque Regni vim insano cupiditatis, et spei hiatu deuorarant, asylum aut arcem capitibus suis obtegendis non aliam reperirent, quàm domum illam, quâ etiam non magno negotio exuti sunt: ne hoc quidem* (quod desperatæ solamẽ vltimũ audaciæ) *indulgente fortunâ, vt atrocioris & quasi nobilis alicuius sceleris nomine, aut conscripto eum in finem exercitu Regio magnificè opprimerentur.*

SCINTILLA vindex) *Quis hanc scintillam in hominibus homines, ...orum corpora tam auidè atro iter ... tanquam signum, vel potiùs præludium, aut primitias æternæ illius et inæstimabilis quæ in animas, nisi*

pœni-

pænituerit inuoluit flammæ non interpretabitur? Quod dum cogito, ne extra metas vagari me suspicer, simile quiddam suggerit sublime & neruosum Tertulliani ingenium. Ille de Ætna loquens sic habet. Quid illum Thesaurũ ignis æterni æstimamus, cum fumariola quædã eius tales flammarum ictus suscitent &c. *Ac paulo post.* Quis hæc supplicia interim montium, non Iudicij minantis exemplaria deputabit? Quis *Scintillas* tales non magni alicujus et inæstimabilis foci missilia quædã, & exercitoria iacula consentiet? *Nihil ferè si ipsum* Aetna *nomẽ dissimulassem, ad hanc rem magis appositũ, aptum, apertũ, adeo vt aut ipse scriptor iam superstes exemplum hoc memorabile inaudiisse, aut saltem multis anteà sæculis videri possit vaticinatus.*

Tertullian. de Pœnitẽtia: *sub finem.*

OBVIA Tecti &c.) *Illũ qui in cauernã Westmonasteriensi latitabat, vnoq; rugitu ima Imperij Britannici fundamẽta erat concussurus,* Regniuerũ *(vt sic appellem) leonem ex vngue cognoscas; eò quod sulphurei huiusce pulueris vnum non multo plus, sesquipondiũ, quod ad focum siccabant Parricidæ, casu, vel potius fato accensum, adeo effreni & efferato impetu ipsos artifices consterneret, ac Domicilij latera perrũperet. Quo in incendio illud insigniter memorabile accidit, vt sacculus, cui pulueris eiusdẽ pondo sex inerant, ipso turbine per ædium prærupta in aream inaccensus incolumisq; proijceretur: qui ideo credo, diuinâ disponente iustitiâ, medios inter ignes flammam non concepit, ne eâdem strage totam, quæ aderat, Proditorum cateruam & sceleri apertè propalando, et iudicio publicè subeundo subtraheret.*

Fumo pereant, qui sic fumum parant.

NON oculos) *Ille* Grantus, *qui ad Equos rapiendos antesignanum se præbuerat, oculos hoc puluere fumoq; (vteruis oculis inimicus satis) ita saucios reportauit, vt ipse modò latronum dux, iam viæ duce indigeret.*

CVLPATE nuper) *Respice Oden quintam ad initium.*

CHORDA NONA



CHORDA nona.

Quæ rigidum, & asperum.

SIVE Ode. 9.

In qua Proditoris ad extremum meritissimumq; supplicium raptatio, sub Faustii persona, cui etiam reliquos, qui simili flagitio, & supplicio irretiti tenentur, adnumerari intelligendum est.

Horat.
Lib. *Od.*

1. 37 G*VIDO* bibendum iam tibi liberè,
1. 17 Orco bibendum est: hinc tibi copia
" Manabit ad plenum benigno,
" Quale tuum fuerat, Falerno.
*Epo.*2 Vix horna sunt hic Cæcuba, qualia
Iam nuper a te condita prouido
2. 7. Caupone. Prome, prome, nec tu
" Parce cadis tibi destinatis.
1. 27. Cessat voluntas? Iustitia Arbitrum
2. 7. Dixit bibendi Carnificem: hic nouo
2. 14. Tinget pauimentum liquore
" Pontificum feruente Bullis.

Bibendus

‘‘ Bibendus ater flumine languido
‘‘ Cocytus errans, cum laniem suam
Trilinguis admiscet propinans
1. 9. Vina Canis Thaliarchus atra.
4. 8. Hem Guido ambis sic epulas Iouis,
3. 3. Sic ore Nectar purpureo bibes,
Ep. 17 Sic ambulabis, *SANCTE GVIDO*,
‘‘ Aureolum super astra sydus.
2. 9. Ah vane veri, desine mollium
3. 29. Ineptiarum: iamq; tui potens
‘‘ Omitte mirari beatæ
‘‘ Fumum, & opes, strepitumq; Romæ.
1. 27 Non Bulla, non te soluere, noxios
‘‘ Qui soluit omnes, non poterit Papa:
‘‘ Non alligatum te perenni
‘‘ *Clauiger* expediet Gehennæ:
1. 4. Non Sanctulorum fabula Manium
Te liberabit: non tuus *Abraham*
2. 11 Restinguet ardētis palati in- *Luc.* 16 24
‘‘ -cendia prætereunte guttâ.
1. 35. Te semper ambit sæua cohors Stygis
‘‘ Frendens flagellis, & stimulos manu
‘‘ Figens ahenâ, nec seuerus
‘‘ Vncus abest liquidumq; sulphur.
Epo. 5. Tu (quæ Deorum est lex bonæ Manium)
Fallax bibendo, Tantaleum bibe,
Tu dolijs fallax dolosis,
3 11. Esto comes Danai puellis.
Sed, qui paratam transueh at ad styga
Charontis instar, Tortor adest, adest,
3. 4. Vt perduellem te trecentis
‘‘ Vtq; crucem rapiat catenis.

Epo.5. Quàm pœnè saxis te petit vndiq;
Epo.4. Liberrima indignatio publica!
Quàm vix capistro te reseruat
2. 13 Densum humeris manibusq; vulgus!
2. 20 Absint inani funere næniæ,
" Cultusq; turpes, & querimoniæ:
" Compesce Missas, & Sepulchri
" Mitte superstitiosum honorem:
Epo.5. En insepulta membra Lupis datur,
" Aut Exquilino mandere vulturi;
1. 27 Exta erubescendis adusta
" Ignibus opprobrio dabuntur.
Ep. 17 Pòst ossa cernens lurida & arida,
Paloq, fixum Tartareum caput,
Vah, Guido, vah, dicet viator,
1. 27 Dignus eras grauiore pœna:
4. 5 Gemella culpam pœna premat comes.
Non vnus Orcus sat sceleri fuit
Huic machinando: vindicando
Vix fuerit satis Orcus Orci.



GVIDO) *Fausium a me aut solum ad supplicium duci, aut etiam solum haberi dignum, qui in tum gerulorum choro funem ducat, ne quis suspicetur. Iamdudum noui ex contesseratis fortasse alios aut sceleri excogitando, aut sulphureo sumptui suggerendo, aut etiam patriæ seditionibus opprimendæ potentiores se præstitisse: Quanquam hic Guido*

(*si** laudatissimos virtutum buccinatores perfugam* Stanleium, *proditorem veteranum* Owinum, *ipsumq; sulphurei monstri caput* Catesbeium *audiamus*) *virtute militari, proiectâq; ad facinus huiusmodi heroicum adeundum audaciâ facile suos omnes superauit.*

Verùm (vt quod res est fatear) hæc Ode penè ad verbum vniuersa, vt & permulta in reliquis alia, recenti tùm flagitio, cùm ne quidem ex rumusculo auditum esset alios ex coniuratis in vincula coniectos, composita est; quæ quoniam reliquos etiam sontes eâdem pœnâ non ineptè inuoluat, nec obliterari se, nec refingi passa est.

*Vide Thomæ Winteri Confessionem, circa principium.

HORNA Cæcuba) *Mortifera illa vina dicam? an venena? dolijs inclusa fallacibus cum iam maiorem anni partem in Cellâ fornicariâ secubassent, non tam ex vetustate coacescere, quàm ex Iouis, Cœliq; ad spectaculum tam immane indignantis fremitu, quasiq; tonitru in vappam degenerare, imo in meras inanitates vidimus euanescere.*

Notum est, Cœlo tonante laborare amphoras.

PROME prome) *Tute hoc intristi, tibi omne comedendũ est, vel, quod Britannicè aptius, & rotundiùs sonat,* Such as you brew, such must you drinke.

FERVENTE Bullis) *Sanguis ille, qui occidionis inferẽdæ auiditate, & Cœli ex pacto adipiscendi spe nimium incaluit, & (vt ita dicam) Bullis bullijt Pontificijs, effusione tandem factâ deferuescet, credo, & refrigebit.*

HEM Guido) *Absit vt ego cuiusquam miseri miserandi, & desperabundi homuncionis, præsertim legi (non quidem sceleri) vltimum soluentis, ceruicibus ferociter superbèq; insultẽ: nec facio quidẽ, sed gemitu potius ac miseratione Parricidarum huiusmodi Manibus immanibus exequor. Quanquàm cum funesta illa animũ subit imago* Regis, Regionis, Religionis, *quorum omnium illi ruinam* deletionemq; sicco oculi *spectare voluerunt, et inhiantes ex-*

pectarunt, quid ni meritissimâ indignatione frendeam potiùs, quàm fleam, triumphem, quàm tremam, me diniq; ciuem potiùs bonum quam molliculum præstem?

Horat. Epod. 16. Vos quibus est virtus muliebrem tollite luctum.

SANCTE Guido) *Fasti Romani (si dijs placet, imo si* Domino Deo nostro Papæ *placuerit) huiusmodi nominibus, numinibusq; fient numerosiores. Habeat quidē tales (nos non invidemus) Sanctos sibi Calendarium Gregorianum.*

CLAVIGER) *Atqui Pseudopetrus Romanus* Ensiger *potiùs videtur cognominandus, quippe qui* Petri *non tam* claue *ornatas, quam* gladio *armatas habet manus.*

Iohn. 18. 11 *Meminerit illud Saluatoris.* Immitte gladium in vaginam.

LIQVIDVMQue sulphur) *Si apud Inferos ignis* realitèr *sulphureus ardeat, quos expectabit potiùs quàm eos, qui alijs ignem sulphureum apparârunt?*

QVAM penè taxis) *Annon cauendum ne monstri tam detestabilis aspectu populus in furorem & vindictam præproperam accensus, Carnifici laborem, & Parricidæ tormentum subleuet? Ira certe contra ius armata vix vnquam poterit esse iustior.*

INANI funere) *Romanenses Missiculatores &* Trigintaliuendonides *si quid in horum Martyrum laudes (neq; enim in animarum salutem opus fuerit) sint decantaturi,* κενοτάφιον *erigant oportet. horum quippe semideorum corpora locum sublimem, & omni humanâ sepulturâ altiorem optimis suis in Matrem Romanam meritis heroicisq; virtutibus æquum est vendicare.*

Sed annon demortuis ossibus, & cadaueribus proiectis inclementèr dicere videor? Ego profecto hoc ipsum transuerso calamo eram obliteraturus, & iamnunc deleuissem, nisi

nuperrime

nuperrimè codicem quendam ἀνώνυμον *hisce oculis aspexissem: in quo aperte profitetur Pontificiorum Martyrum nescio quis Encomiastes,* sperare se, eadem illa, quæ nos humanâ indignos sepulturâ deputamus, ossa* thecis olim aureis iri ornatum, & ipsa, quæ tam sacro sanguine aspersa sunt, patibula in publicæ venerationis honorem concessura. *Vbi hoc etiam ore effrani, & effronti deblaterat importunus rabula,* Plurimos, qui apud nos cum imperio & potestate sunt, adeò se strenuos præstare* *Martyricidas*, vt (si illorum arbitrio res geratur) non sit dubium, quin satis amplus, ex martyrum sanguine,* *Thesaurus* coacervandus sit, quo Templa omnia nostratia, & Ecclesiæ (cum ad* legitimos dominos, & bonę fidei possessores tandem redierint) locupletentur, ac splendescant.

Verba Authoris.
* *Shall bee shrined in gold.*

* *Martirquellers.*
* *Meritorū.*
* *Pontificios. Sed spē hanc luserit spes nostra Christus.*





CHORDA decima.

Quæ rotundum, clangidum, & triumphale, *quasi disdiapason sub extremam clausulam reboat.*

SIVE Ode Vltima

In qua ad Tutelæ Cœlestis aram gratiarũ oblatio, pro futurâ Regis, Regniq; incolumitate obtestatio, terroris deniq; omnis in triumphum conuersio.

Horat.
Lib. Ode.

4.14. QVæ vota Patrum, quisuè fidelium
Cultus benigno, ac salutifico Deo
Iustum rependant, gratiarum
3. 23 Thure pio, & saliente zelo,
Qui Proditorum mortiferam manum,
3. 6 Et execrandos contudit impetus?
3. 26 Sic *Christe* sublimi flagello
" Tange iterum atq; iterum arrogãtes;
Nostri misertus, per meritum tuum,
3. 23. Per sumptuosam *Sanguinis* hostiam,
2. 6. Nomenq;, & ingentes tuarum
3. 1. Diuitias miserationum.

(Sed

(Sed nos vocatus spreuimus heu tuos,
3. 21 Segnemq; sontes perdere *Gratiam*,
2. 6. Minasq; & ingentes tuarum
3. 1 Diuitias miserationum)
3. 24. Si nempe, sæui materies mali,
3 6 Delicta, nobis ex merito forent
Luenda, pessum iissemus omnes
Sulphureo data præda monstro:
3. 8. Et funeratam fulminis ictibus,
Cum Rege, Lege, & Christicolâ grege,
4. 9. Nox longa pressisset Britannam,
1. 29 Pollicitam meliora, gentem.
At nos tuarum Dia benignitas
2. 17. Dilectionum, incredibili modo,
Quamvis nocentes, contumaces,
Et meritos grauiora fouit.
4. 3. O *Christe* totum muneris hoc tui est,
" Quod quisq; nostrũ spirat adhuc, tuum est.
4. 4. Tuum, quod imbellem feroces
" Non laniant aquilæ *Columbam*.
Te nostra vita, haud vota grauant, Sacris
1. 2. Tu non iniquus, sed vitijs manes,
4. 4. Vtcunq; defecêre mores,
Religio tibi nostra cordi est:
Illam tueri, & tradere posteris
Intaminatam (nil sine te pij
1. 26 Possunt labores) *Liberator*
" Da Deus, ac tibi liberatum
1 35. Serua *IACOBVM*, qui regit vltimos,
" Orbis Britannos. Stet Capitolium
2. 3. Fulgens, triumphatisq; possit
" Papicolis dare iusta iura.

3. 3. Latè IACOBVS nomen in exteras
" Porrigat oras quà nimium calet.
1. 22 Solis propinqui curribus, & quà
Perpetuum ferit arua frigus.
3. 3.
3. 28. Nos iſta, nos cantabimus inuicem
3. 3. Dum longus interſæuiet *Albion*
" Romamq; pontus, dum Sororum
Fila trium patiantur atra.
2. 3.
3. 30. O ſi ſuperbo *Pyramides* ſitu
4. 8. Et ſculpta ſignis marmora publicis
" (Quæ non proteruus frangat Eurus,
" Tempus edax, vel aquoſus imber)
Figantur, altis quæ penitùs notis,
Et literarum ſulco admantino
Hæc auſa portentoſa, monſtra
4 4 Effera, coniugibus loquenda,
Seriſq; deteſtanda nepotibus,
Seriſq; vix credenda nepotibus,
Nepotibus legenda monſtrent:
4. 4. Vt titulos memoremq; verſum,
Et *liberatæ* fata *BRITANNIAE*,
Dum penſa longis noctibus adijcit,
3. 1. Matrona Muſarum perita
" Virginibus, puerisq; cantet.
4. 9. Vtcunq; : non fas omnia liuidas
" Obliuiones carpere: Nos (quibus
Dat *Muſa*, quamuis blæſa, & infans,
4 9 Verba loqui ſocianda chordis)
4. 15. Nos & profeſtis lucibus, & ſacris,
" Circumq; teſtes lætitiæ *Pyras*
" Verſum triumphalem canemus,
" Ritè Deum prius adprecati,

VINDEX

PRODITOR

1. 34. *VINDEX SVPERBOS ATTENVAT DEVS*
3. 4. Sic voce acutâ, sic fidibus nouis
1. 26. Sonare, sic clangente plectro
" " Meq;, meosq; decet sodales:
Nonæ Nouembris non erit ampliùs
Dies nefastus, fastus erit dies, — *Stylo veteri.*
Et faustus, & *Festus* Britannis,
4. 14. Dum lauat Oceanus Britannos.

---

3. 3. Non hæc minori conveniunt lyræ
" " Cantanda doctis: Desino, desino
" " Fidenter audax, garrulusq;
" " Magna modis tenuare paruis.



CONTVDIT impetus) *Verbū illud Regijs subscriptum Insignibus* Exurgat Deus, dissipentur inimici *antea semper, vt precationem, aut etiam imprecationem interpretatus sum, nunc certè potiùs vt vaticinium. Quippe surrexit Deus, & vnâ operâ dissipati sunt ipsius pariter, & sui Dauidis inimici.* Ὡς ἀπόλοιτο ϗ ἄλλος ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι. — Homer. Odyss. 1.

TRIVMPHATISQue posuit) *Quid æquius, aut opportunius, quam eiusdem* Concilij *consilijs, eadem in Arce, cui infandas ipsi struxerant insidias, non modo Perduelles, sed & omnes, qui sedi Romanæ quàm Imperio Britannico, meliùs volunt, legum iustarum retinaculis constringi?*

* *In libello quodam Gallicè nuper conscripto ipsa Pyramis nō inelegāter de subuersione sua et Iesuitarum insolentia apud Regem cōqueritur.*

* *Bartass. Les Artif. ad initium.*

PYRAMIDES) *Gallorum Rex, qui iam sceptro potitur, non multis abhinc annis in perpetuam non tantum vniuersis Galliæ Ordinibus, sed nec is sibi intentatæ memoriam & Iesuitarum opprobrium, Pyramidem marmoream Parisijs loco edito ad ipsum Palatij Regij vestibulum erexit * quam tamen improbâ Iesuitarum victus importunitate non ita pridem dirui & submoueri passus est. Sed*

manet æternumq; manebit

Opprobrium sceleris, diraq; infamia sectæ.

MATRONA) *Cum mulierculæ de tam stupendâ historiâ nænias concenturæ sint, turpe mihi profectò visum fore, Academicæ Musæ si prorsus mutæ consedissent: mea igitur ad lyram surrexit, non quod alijs aut sit loquacior, aut haberi cupiat eloquentior.* — Sed acri

Percussit thyrso rei vis magna meum cor.

TESTES lætitiæ pyras) *Gallicè* * les feux de ioye. *Victoribus hostium arma & exuuiæ in trophæum cedere solent. Regnum Britannicum vniuersum igni deuotum; igni propè deuoratum, quo potiùs victoriæ monumento, aut lætitiæ signo vtatur, quam focis genialibus,* pyrisq; publicis *per omnes imposterum* Nouembres *celebrandis? Quos ad ignes si circumludentes puerui* crepitaculis *(quod fieri solet) vtantur eâdem materiâ conflatis, quâ periculum ipsum instruebatur, quid huic triumpho aptius?*

NONAE Nouembres) *Iubilæum Romanum centesimo quoq; anno celebratum, recentiores Pontifices ad quinquagesimum contraxêre; alij's fortasse ad Curiam Romanam nummis farciendam & Purgatorium hospitibus depurgandum breuiori circulo olim reducturis. Nostri verò regum, regnorum, rerumq; omnium euersores, ab vltimo quod Romæ nuper celebrabatur, Iubilæo lustri vnius spatio nondùm præterlapso, nimiùm quidem auidâ & præcoci temporum*

anti-

anticipaticre Iubilæum *nouum Romanum in fatales illas* Nonas Nouembres, occultâ indictione *præstitutum sancire voluerunt. O importunos Sacrorum instauratores! O audaces & (nisi quod ab ipso vel Papa, vel* Iebusitarum *Præside (saltem tacitam huiusce iubilæi instituendi facultatem nacti fuerint) sacrilegos festorum Pontificalium nouatores. Sed facile inquitis pro suâ in Dilectos filios indulgentiâ* Apostolicus Pastor *exorabilem se, cepijs, si in victoriam cessissent, conatibus facilem non tam iudicem quam ducem præbuisset. Credo quidem: & patriæ gratulor, quod non iam necesse sit vestram apud* Sanctũ Patrem *hoc in errore deprecando gratiam experiri. Vos, vt lubet, de Episcopo vniuersali omnia bona dicite, & laudate fortunas vestras, qui patrem habetis potestate infinitâ adeò (non quidẽ a Deo) præditum.*

* *Patre (quẽ honoris causa nomino)* Garneto.

Noster animarum Episcopus, *gregisq. paruuli, quem sanguine suo redemit, Pastor Iesus Christus nobis se multò præbuit faciliorem benigniorem q, qui pro sua incogitabili misericordia illud inimicorum suorum, quo iam tùm tota reboasset Europa,* Iubilate, *&* Salue festa dies, *conuertit in querulam & magnâ dignam Meretrice cantilenam,* Cecidit, cecidit Babylon magna. *Cuius fraudes & incantamenta, quibus tot Christiani nominis gentes miserè fascinatæ sunt, magis magisq indies retegat Deus, et Christianorum Regum, Principumq. cum visum fuerit, aperiat oculos, vt Ecclesiæ laboranti suppetias, Antichristo superbienti debitam cœlitùsq destinatam ruinam moliantur.*


Apoc. 18. 2

Idem misericors Pater potentissimum superstitionum expurgatorem, Idololatriæ expugnatorem, paratissimum Fidei *Apostolicæ & primitiuæ Propugnatorem* IACOBVM, *regiam prosapiam vniuersim Ecclesiæ venerandos Præsules, Regni Proceres, fidelem q. populum solitâ protegat*

misericordiâ, faustâ semper pace sospitet, & vnà cum incorruptâ Euangelij puritate, festißimam admirandæ Liberationis *nostræ memoriam celebritatemq; per omnem Britannorũ posteritatem ad vltimam sæculorum periodum transmitti patiatur.*

Grata Deo, ac Regi, nulliq; iubentiùs vnquam
Responsura sono Britonum gens accinat AMEN.
Et reboaturis geminetur vocibus

AMEN.



C 11924 SL
61629

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION